Library of
INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
Presented by
Rev. A.A. Vaschalde,
C.S.B.

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/chronicaminorapa00guid

SCRIPTORES SYRI

SERIES TERTIA — TOMUS IV

CHRONICA MINORA

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

CURANTIBUS

J.-B. CHABOT, I. GUIDI

H. HYVERNAT, B. CARRA DE VAUX

SCRIPTORES SYRI

VERSIO

SERIES TERTIA — TOMUS IV

CHRONICA MINORA

PARS PRIOR

INTERPRETATUS EST IGNATIUS GUIDI

PARISIIS

E TYPOGRAPHEO REIPUBLICAE

CAROLUS POUSSIELGUE, BIBLIOPOLA

15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE : OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCIII

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

NOV 6 1942

12015

I

CHRONICON EDESSENUM.

EDIDIT ET INTERPRETATUS EST

IGNATIUS GUIDI.

Chronicon quod cognomen Edesseni ab Assemānī datum usque adeo apud viros doctos retinet, paullo post annum 540, vel si Hallier assentimur, sub finem saeculi VI conscriptum fuit. Quae ad Edessam spectant e tabulario urbis certe deprompta sunt. Ceteros libros quibus auctor usus est, recenset Hallier hos: 1° chronicon nomini Josuae Stylitae falso addictum; 2° historiam quamdam Persarum nunc deperditam; 3° scripta quaedam Antiochiae composita. Auctoris nomen nos latet, sed eum ad clerum ecclesiae edessenae pertinuisse verisimillimum est, orthodoxum itidem neque tamen Nestorianis infensum.

Chronicon tantum in Codice Vatic. Syr. CLXIII, saeculi fere VII asservatur; ediderunt primum Assemānī (qui tamen scripturam codicis ad recentiorem formam et rationem redegit, et textum diverso ordine disposuit) et nuper Hallier, translatione et commentario amplissimo additis.

Textum ad codicis fidem ita expressimus ut vel puncta eisdem atque in codice litteris adposuerimus, nullo discrimine inter editionem nostram et ipsum codicem nisi in versuum distributione relicto. Ad marginem numeri apponuntur quos Hallier notavit; quos autem notaverat Assemānī, quotiescumque diversi sunt, uncis inclusos adiunximus.

Notitia librorum qui ad Chronicon spectant haec est:

a. Editiones : Jos. Sim. Assemani. *Bibliotheca Orientalis Clementino-Vaticana*, t. I, p. 387-417 (Textus cum latina interpretatione).

L. Hallier. *Untersuchungen über die Edessenische Chronik*, Leipzig, 1892 (Textus cum germanica interpretatione et commentario).

b. Versio anglica, in *Journal of Sacred Literature*, 1864, vol. 5 (new ser.), p. 28 et seq. (Laudat Wright hanc versionem, sed cf. Hallier, p. 3, n. 3.)

c. Vide etiam : R. Duval, *Histoire politique, religieuse et littéraire d'Edesse*, Paris, 1892.

ITEM; NARRATIONES FACTORUM IN BREVITATEM COACTAE.

Anno 513, imperante Severo, sub Abgaro rege filio regis Maʿnu, mense tešrīn ḥĕrāy (novembr.), fons ex magno (*maiori*) palatio Abgari regis magni erumpens, abundantius fluxit et iuxta morem antiquum crevit et copiosissimus exundavit in omnem partem, adeo ut regia atria et porticus et aedes regiae aquis impleri coeperint. Quae cum vidisset dominus noster Abgar rex in locum montis tutum *ab aquis* palatio imminentem ascendit, ubi sedem et domicilium habent opifices regii. Interea dum homines periti consulunt quid remedii inveniant aquis quae nimis copiose creverant, factus est forte noctu imber magnus ac vehemens. Quare tum flumen Dayṣān, die et mense non suo, tum alienae aquae devolutae cataractas clausas invenerunt, quae ferro obductae et ferreis repagulis firmatae erant. Quare cum *fluminis* aquis ingressus *in urbem* non inveniretur, *crevit et* factum est *velut* mare latum extra urbis moenia, et aquae per pinnas muri paullatim in urbem descendere coeperunt. Abgarus rex stans in magna turri quae Persarum vocatur, aquam *exundantem* collucentibus facibus conspexit, portas et octo cataractas muri occidentalis urbis, qua flumen perfluit, extolli iussit; sed illo temporis momento, muro occidentali urbis everso, aquae urbem intrarunt, magnum et perpulchrum palatium regis domini nostri subruerunt, omnia quae obviam erant aedificia amoena et magnifica urbis, omnia quae prope flumen sita erant ad meridiem et septentrionem asportarunt, in templum (*h. e. partem ecclesiae ubi populus locum habebat*) aedis sacrae Christianorum irruperunt. Hoc facto plus quam 2000 hominum perierunt, quorum multos noctu dormientes aquae improviso irruentes suffocaverunt; urbs autem gemitibus et lamentationibus plena erat. Cum vidisset rex quae acciderant ruinas, iussit omnes urbis artifices longe a flumine tabernas habere, et neminem prope flumen sibi tabernam aedificare. Consilio mensorum et hominum peritorum tabernae exstructae sunt pro latitudine fluminis, *in quam flumen, eluvionis tempore, patere solebat, extrema ripae parte quamvis plerumque sicca non occupata*, prolatis insuper terminis antiquis. Aquae enim multae quidem fuerunt et vehementes *insolite*, sed flumen ipsum, utpote quod aquas 25 torrentium qui ex omni parte se colligunt, excipiat, in parvam latitudinem patebat. Iussit *quoque* rex eos omnes qui in porticu sedem habent et artes fabriles

I (VIII).

BQ
3955
.H8

exercent in conspectu fluminis, in tabernis non pernoctare a mense tešrīn qĕdēm (octobr.) ad mensem nīsān (april.); ex praetorianis vero, qui urbem custodiebant, quinos per totum tempus hiemale in moenibus pernoctare, supra locum per quem aquae urbem intrant. Et simul ac senserint noctu atque audiverint aquarum alienarum strepitum, quae in urbem intrare coeperint... Quicunque autem strepitum audiverit et rei neglegens non exiverit *clamans* «ecce aquae», neglegentiae poena ab eo exigebatur, quod regis iussum sprevisset; edictum hoc ex eo tempore quo talia acciderunt factum, in perpetuum valere debebat. Iussit autem rex noster Abgar, domum regiam in Bēth Tabārā sibi aedificari, ad tempus hiemale agendum, ibique per totam hiemen commorabatur; aestate autem ad novum palatium descendebat quod ad caput fontis exstruxerat. Eius etiam optimates, domos in quibus commorarentur sibi aedificaverunt prope locum ubi rex versabatur, in foro superiori quod vocatur B[ēth] Saḥrāyē. Et quo prior urbis prosperitas firmaretur, iussit rex Abgarus debita tributorum remitti tum iis qui intra moenia commorabantur, tum iis qui in pagis et campis habitabant; tributorum immunes fuerunt per quinque annos, donec civibus aucta est urbs atque aedificiis exornata. Haec acta regisque Abgari edictum conscripsere Māryabh Bar Šĕmeš et Qāyōmā Bar Magarṭaṭ[1], notarii Edesseni : eaque in tabularium Edessenum intulere Bardīn et Bôlid[aᶜ], ejusdem tabularii praefecti, utpote urbis commissarii.

ii (i). Anno 180, coeperunt Reges regnare Edessae.

iii (ii). Anno 266, imperavit Augustus Caesar.

iv (iii). Anno 309, Dominus noster natus est.

v (iv). Anno 400, aedificavit sibi Abgarus rex mausolaeum (*pr.* monumentum sepulchrale in honorem mortis suae).

vi (v). Anno 449, Marcion ab Ecclesia catholica defecit. Lucius autem
vii. Caesar una cum fratre Parthos Romanis subegit anno imperii sui quinto.

viii (vi). Anno 465, die undecima mensis tammūz (iulii), natus est Bardesanes.

ix. Anno 517, Abgarus palatia in oppido suo aedificavit.

x. Anno 551, natus est Manes.

xi. Anno 614, sub Diocletiano imperatore, muri Edessae secundo corruerunt.

[1] Vocales nominis incertae.

Anno 624, iecit fundamenta ecclesiae Edessenae Qūnē (Κόνος? xii.
Κοῦνος? Κοῖνος?) episcopus : exstruxit autem absolvitque aedificium
Šaʿad episcopus eiusdem successor.

Anno 635, aedificatum fuit coemeterium Edessae, diebus Aytallāhā xiii.
episcopi, anno prius quam magna synodus Niceae locum haberet.

Anno 636, factus est Aytallāhā Edessae episcopus : qui coeme- xiv.
terium et latus australe ecclesiae aedificavit. Anno vero sequenti xv.
congregata est Niceae synodus episcoporum tercentum decem et octo.

Anno 639, factum est aedificium et additamentum (*aedif. additum* xvi.
est) in edessena ecclesia.

Anno 649, obiit Mār Iacobus Nisibis episcopus. xvii.

Anno 657, factus est Abraham Edessae episcopus, qui sacellum xviii.
Confessorum aedificavit.

Anno 660, aedificavit Constantius Constantini filius Amidam xix.
urbem.

Anno 661, aedificavit etiam idem Constantius Tellam urbem xx.
quae olim Antipolis (*Antoninop.*) dicebatur.

Anno 667, claruit Abraham Qīdōnāyā reclusus. xxi.

Anno 672, migravit ex hoc saeculo Mār Abraham Edessae epi- xxii (xxiii).
scopus.

Eodem anno migravit ex hoc saeculo Vologesus Nisibis episcopus. xxiii (xxiv).

Item eodem anno, Barsē episcopus imperatoris jussu ex urbe xxiv (xxv).
Ḥarran Edessam venit.

Anno 670[1], corruit Nicomedia. xxv (xxii).

Anno 674, mense ḥazīrān (iunio), Iulianus perrexit ad bellum xxvi.
cum Persis gerendum, ibique interiit.

Anno 675, mense šĕbāṭ (februario), imperium occupavit Valen- xxvii.
tinianus magnus cum Valente fratre.

Anno 678, migravit ex hoc saeculo Mār Iuḷianus Sābhā. xxviii.

Anno 681, exstructum fuit magnum Edessae baptisterium. xxix.

Anno 684, mense ḥazīrān (junio), die nona, migravit ex hoc xxx.
saeculo Mār Ephrem sapientissimus. Mense ēlūl (septembri) ejus- xxxi.
dem anni, ecclesia Edessae populus excessit propter Arianorum in-
sectationem.

Anno 689, mense ādār (martio), migravit ex hoc saeculo Mār xxxii.
Barsē Edessae episcopus.

Eodem anno, die 27 kānūn qĕdēm (decembris) *postliminio* xxxiii.

[1] Fortasse 674, emend. Cf. Hallier.

reversi Orthodoxi ingressi sunt et occupaverunt edessenam ecclesiam *recuperatam*.

XXXIV. Per idem tempus factus est Mār Eulogius episcopus, anno nimirum quo Theodosius magnus imperare coepit. Et ipse quidem Mār Eulogius aedificavit aedem s. Danielis, quae *postea* aedes Mār Domitii appellata fuit.

XXXV. Anno 692, Theodosius magnus Rhesainam urbem in Osrhoena aedificavit.

XXXVI. Anno 693, coacta fuit synodus centum et quinquaginta episcoporum Constantinopoli.

XXXVII. Anno 698, migravit ex hoc saeculo Mār Eulogius episcopus, feria sexta Crucifixionis.

XXXVIII. Anno 705, mense āb (augusto), die 22, advexerunt arcam Mār Thomae apostoli, in templum magnum eidem dicatum, diebus Mār Cyri episcopi.

XXXIX. Anno 706, die 17 kānūn ḥĕrāy (ianuarii), migravit ex hoc saeculo Theodosius magnus imperator. Die vero 27 nīsān (aprilis) Arcadius Contantinopolim ingressus est. Die autem 8 tešrīn ḥĕrāy (novembris), cadaver Theodosii eamdem urbem intravit.

XL. Eodem anno, mense tammūz (iulio), Hunni in Romanorum ditionem transgressi sunt.

XLI. Anno 707, die 22 tammūz (iulii), migravit ex hoc saeculo Mār Cyrus Edessae episcopus.

XLII. Anno 708, factus est Mār Silvanus Edessae episcopus.

XLIII. Anno 710, die 17 tešrīn qĕdēm (octobris), migravit ex hoc saeculo Mār Silvanus Edessae episcopus.

XLIV. Eodem anno, die 23 tešrīn ḥĕrāy (novembris), factus est Mār Pĕqīdā Edessae episcopus.

XLV. Eodem etiam anno fuit Iohannes Chrysostomus episcopus Constantinopoli.

XLVI. Anno 714, Theodorus Mopsuestiae episcopus sacram scripturam commentari coepit.

XLVII. Anno 715, ʿAbsamyā presbyter, sororis beati Mār Ephrem filius, de Hunnorum incursione in Romanorum ditionem hymnos et sermones conscripsit.

XLVIII. Anno 720, factus est Mār Diogenius Edessae episcopus : qui aedem Mār Barlāhā aedificare coepit.

XLIX. Eodem anno, in neomenia mensis āb (augusti), migravit ex hoc saeculo Mār Pĕqīdā Edessae episcopus.

Anno 721, factus est Cyrillus Alexandriae magnae episcopus. L.

Anno 723, fuit Rabbulas episcopus Edessae. Hic aedificavit aedem LI.
Mār Stephani quae antea domus sabbati, *synagoga* Iudaeorum (Audianorum?) fuerat; aedificavit autem iussu imperatoris.

Anno 724, sub Honorio et Arcadio, invictis imperatoribus, muri LII.
Edessae, iam tertio, aquis labefactati sunt.

Anno 732, Eutyches monachus innotuit, qui Incarnationem ne- LIII.
gavit.

Per idem tempus martyrio fuit coronatus beatus Iacobus inter- LIV.
cisus.

Anno 739, innotuit haeresis asserentium peccatum naturae in- LV.
situm esse.

Anno 740, Andreas Samosatae episcopus claruit. LVI.

Anno 741, pulvere caelum pluit. LVII.

Anno 744, Ephesina prior synodus congregata fuit. LVIII.

Anno 746, die 8 āb (augusti), migravit ex hoc saeculo Rabbulas LIX.
Edessae episcopus : cui magnus Ibas suffectus fuit. Hic novam aedificavit ecclesiam quae hodie aedes Apostolorum appellatur.

Anno 749, sub praestantissimo Iba, obtulit Senator magnam LX.
mensam argenteam librarum 720, quae in veteri Edessae ecclesia reposita fuit.

Anno 753, Anatolius Stratelates (*militiae praefectus*) fecit argen- LXI.
team capsam in honorem ossium sancti Thomae apostoli.

Anno 756, Dioscorus Alexandriae magnae factus fuit episcopus. LXII.

Item altera synodus Ephesi coacta fuit; hic *Dioscorus* anathemate LXIII.
perculit magnum Flavianum episcopum Constantinopoleos, Domnum Antiochiae, Irenaeum Tyri, Ibam Edessae, Eusebium Dorylaei, Danielem Ḥarran, Sophronium Tellae, et Theodoretum Cyri.

Anno 759, Ibas episcopus Edessa excessit die 1 kānūn ḥĕrāy LXIV.
(ianuarii), cui Nonnus successit die 21 tammūz (iulii), tenuitque sedem annis duobus, et fecit sacrarium in ecclesia.

Anno 760, fuit Leo Romae episcopus. LXV.

Anno 762, synodus in urbe Chalcedone coacta fuit. LXVI.

Anno 763, claruit Mār Isaac scriptor et archimandrita. LXVII.

Anno 769, die 28 tešrīn qĕdēm (octobris) requievit Ibas, LXVIII.
Edessae episcopus; et in locum eius venit Nonnus qui aedificavit aedem Mār Iohannis Baptistae, et nosocomium in domo pauperum leprosorum extra portam Bēth Šĕmeš. Exstruxit autem in eodem nosocamio martyrium Mār Cosmae et Mār Damiani, praeterea

monasteria turresque excitavit : sed et pontes fecit, et vias complanavit[1].

LXIX. Anno 771, migravit ex hoc saeculo beatus Simeon Stylites, die 2 ēlūl (septembris), feria quarta, hora undecima.

LXX. Anno 777, aedificavit Leo Callinicum in Osrhoena, quam de suo nomine Leontopolim appellavit : episcopum etiam in ea constituit.

LXXI. Anno 782, mortuus est Nonnus Edessae episcopus : cui Cyrus successit.

LXXII. Anno 795, Leontius a Zenone descivit imperavitque Antiochiae annis duobus.

LXXIII. Anno 800, Persarum schola ex urbe Edessae excisa est.

LXXIV. Anno 809, mense īyār (maio), remissum fuit aurum (tributum χρυσάργυρον) artificibus universae terrae.

LXXV. Mense autem ḥazīrān (iunio), die 6 mortuus est Cyrus Edessae episcopus : cui successit Petrus, et Edessam ingressus est die 12 ēlūl (septembris) eiusdem anni.

LXXVI. Anni 810, plurimae visae sunt locustae : quae tamen exiguum eo anno damnum peperere, sed ova deposuerunt. Accidit praeterea ingens terrae motus, et thermae Abarnē triduo aruerunt. Sed et Nicopolis urbs corruit, et incolas omnes praeter sanctuarium et episcopum duosque eiusdem syncellos oppressit. Mense kānūn ḥĕrāy (ianuarii), signum hastae simile apparuit in caelo multos dies.

LXXVII. Anastasius vero imperator Euphemium Constantinopolitanum episcopum sede eiecit, eique Macedonius subrogatus est.

LXXVIII. Anno 811, multae locustae fuerunt, totum frumentum corruperunt absumpseruntque.

LXXIX. Anno 813, luculentus ignis in boreali plaga apparuit, qui tota nocte ardere visus est, sub die 22 āb (augusti).

LXXX. Anno 814, Cavades Persarum rex obsedit Amidam Mesopotamiae urbem, die 5 tešrīn qĕdēm (octobris), quam pugna facta post 97 dies subegit.

LXXXI. Mense autem ēlūl (septembri) eiusdem anni, venit et obsedit Edessam : attamen Dei beneficio nullam ipsi attulit perniciem, aedem Mār Sergii et aquilonarem basilicam aedis Confessorum tantum incendit.

LXXXII. Anno 821, sabbato Resurrectionis requievit Petrus Edessae episcopus, eique Paulus successit.

[1] Aut potius «tutas reddidit» ut mavult Hallier.

LXXXIII. Anno 21 imperii, Anastasius arcam Euphemiae martyris aperiri jussit, ut volumen quod synodus Chalcedonensis eo in loculo reposuerat, indidem extractum cremaretur. Ast erumpens ex arca ignis ora percussit volentium id *volumen* extrahere; quapropter, Anastasius destitit inde extrahere *volumen* et igni comburere.

LXXXIV. Macedonium tamen Constantinopolitanum episcopum, quod anathema dicere synodo recusaret, expulit eique Timotheus suffectus est.

LXXXV. Anno Anastasii 24, Vitalianus ab eo defecit.

LXXXVI. Anno 829, die 9 tammūz (iulii), migravit ex hoc saeculo Anastasius imperator : cui Iustinus successit.

LXXXVII. Anno imperii 2, qui fuit annus 830, Iustinus Severum Antiochia, et *urbe* Mabbog Xenaiam expulit : quotquot insuper quatuor synodos suscipere recusarunt, *exilio mulctavit.*

LXXXVIII. Anno 831, 4 tešrīn ḥĕrāy (novembris), Patricius Edessam venit ut Paulum inde expelleret; adegitque hominem ut alterutrum sibi optaret : aut nempe synodo subscribens in sede maneret, aut si renuisset, ab episcopatu dimitteretur. Ast ille cum alterutrum facere renuisset, ad baptisterium profugit ibique consedit. Quem animadvertens Patricius alterutrum facere renuentem, veritus imperatoris edictum, coactus est Paulum e baptisterio extrahere, et Seleuciam deportandum tradere. Imperator vero ut rescivit *Patricium* vi e baptisterio hominem abstraxisse, iussit ad sedem revocari, sperans eum a proposito discessurum, synodumque suscepturum. Quatuor ergo et quadraginta diebus post Paulus ad sedem revertitur. Qui tamen diu Edessae perstitit neque synodum suscepit; cum autem imperator comperisset eum renuere, Euchaita in exilium pepulit. Paulus Edessa excessit, sub die 27 tammūz (iulii) anni 833; ei successit Asclepius, Edessam ingressus 23 tesrīn qĕdēm (octobris) anni 834, exactis ab expulsione Pauli mensibus tribus.

LXXXIX (XC). Die 24 kānūn qĕdēm (octobris), statim a sua inauguratione Asclepius Edessae episcopus monachos *monasterii* Orientalium eorumque sodales monachos eiusdem cum illis propositi eiecit; quod videlicet Chalcedonense concilium respuerent.

XC (XCI). Anno 836, aquarum magna vis quarta iam vice intravit Edessam : quae moenia subruerunt, aedificia *urbis* everterunt, civesque suffocarunt, cum ingenti totius civitatis ruina.

XCI (XCII). Qua causa Asclepius episcopus Edessa fugit perrexitque Antiochiam ad Euphrasium patriarcham : ibique, Antiochiae, post septuaginta circiter dies, etiam mortuus est die 27 ḥazīrān (iunii)

eiusdem anni, et ibidem, Antiochiae, conditus est. Cadaver die 4 ēlūl (septembris) eiusdem anni Antiochia deportatum, in aede Mār Barlāhā prope Mār Nonnum episcopum depositum fuit.

XCII (XCIII). Paulus autem de obitu Asclepii certior factus, poenitentia ductus, Mār Iustiniano patricio per litteras supplicavit : libellum quoque Euphrasio patriarchae obtulit. Quam ob rem, tum propter libellum quem fecerat, tum propter litteras gloriosi Deumque amantis Mār Iustiniani patricii, restitutus fuit, in suamque sedem rediit et die 8 ādār (martii) anni 837, post menses ab obitu Mār Asclepii octo, Edessam ingressus est.

XCIII (XCIV). Vixit autem Paulus episcopus a sua tertia inauguratione menses octo demptis diebus octo; 30 autem tešrīn qĕdēm (octobris) anni 838 defunctus est.

XCIV (XCV). Successoremque habuit Andream, qui Edessam ingressus est die 7 mensis šĕbāṭ (februarii) eiusdem anni 838.

XCV (LXXXVIII). Imperator autem Iustinianus Dei amans *omnem* industriam et curam posuit, donec sanctas quatuor synodos Ecclesiae diptychis adscripsit : Niceanam videlicet, Constantinopolitanam, Ephesiam priorem et Chalcedonensem.

XCVI (CIV). Anno 13 imperii Iustiniani, qui fuit annus 850, indictione 2, die 5 tešrīn qĕdēm (octobris), signum hastae in speciem in caelo apparuit.

XCVII (XCVI). Anno 837, die 29 īyār (maii), feria sexta, hora septima, contigit ingens et validus terrae motus quo magna Antiochiae pars corruit suosque filios obruit et incolas suffocavit.

XCVIII (XCIX). Anno 839, die 15 tešrīn ḥĕrāy (novembris), magnum incendium Antiochiae fuit : quo urbis pars maxima quae terrae motibus superfuerat, deflagravit. Undenam incendium ortum sit incompertum.

XCIX (XCVII). Eo terrae motu occubuit quoque Euphrasius patriarcha aedium collabentium ruinis sepultus, quem ferunt gemitus edidisse subter aedes diem perpetuam. Ei successit Antiochiae Ephrem amidenus, qui erat comes Orientis.

C (CIII). Anno 844, die 6 kānūn qĕdēm (decembris), ex hoc saeculo migravit Mār Andreas episcopus; et conditus est in aede Mār Barlāhā, prope ossa Mār Nonni et Mār Asclepii : eique successit Addaeus qui Edessam ingressus est die 28 āb (augusti) anni 844.

CI (XCVIII). Anno 838, prima die nīsān (aprilis), Mār Iustinianus Caesar creatus fuit : et die 10 āb (augusti) eiusdem anni obiit imperator Iustinus, imperavitque solus Mār Iustinianus.

CII (C). Anno 842, mense tammūz (iulio), Edessam venit Mār Demosthenes ut *dux* romanas copias regeret.

CIII (CI). Anno 843, die 18 kānūn qĕdēm (decembris), Hunni ditionem Romanorum ingressi, captivos abduxerunt et depopulati sunt usque ad agrum Alepinorum, et ad duodecimum ab urbe Antiochia lapidem. Ea ex clade concepto moerore, morbo correptus est Mār Demosthenes, et in urbe Tellā, die 10 kānūn ḥĕrāy (ianuarii) eiusdem anni, mortuus est.

CIV (CII). Anno 843, mense ēlūl (septembri), pacem inter Romanos et Persas composuit Mār Rufinus patricius: eaque ad annum 851 producta est.

CV. Hoc eodem anno, mense īyār (martio), Chosroes Persarum rex pacem diremit, terras Romanorum invasit, Suramque, Alepum, et Antiochiam vastavit : Apamea quoque potitus est : et reversus usque ad Edessam perrexit. Dei autem eam protegentis gratia, nullo eam damno affecit : sed acceptis duobus auri pondo quae ei urbis primores pependerunt, in patriam reversus est.

CVI. Quemadmodum ex antiquis historiis discimus, annis a Christi Domini ad gloriosum Patrem adscensu, quatuor vicibus aquae perruperunt moenia benedictae (*Edessae*) et disiecerunt turres, civesque suffocaverunt. Prima vice sub Severo imperatore Romanorum, anno 513 Graecorum, mense tešrīn ḥĕrāy (novembri), *urbis* moenia corruerunt. Altera, qua similiter eiusdem muri corruerunt, sub Diocletiano imperatore, anno 614, īyār (maio) mense. Tertia simili sub Honorio et Theodosio, invictis imperatoribus, anno 724, die 18 ādār (martii), feria tertia, sub Rabula Edessae episcopo. Quarto corruerunt denique sub Iustino imperatore, anno 836, Asclepio eiusdem urbis episcopo.

II

CHRONICON ANONYMUM.

EDIDIT ET INTERPRETATUS EST

IGNATIUS GUIDI.

Chronicon hoc anonymum ipse reperi in Synodico nestoriano Romae asservato[1] et publici iuris feci, anno 1891; ad textus emendationem nonnulla contulerunt Hoffmann et Noeldeke, qui chronicon egregie, ut solet, germanice vertit et commentatus est anno 1893.

Textum cum libro ms. iterum contuli, ut editio haec altera tum in verbis tum in interpunctione cum eo plane congrueret. Quod vero in interpretatione mea Noeldeke vestigiis plerumque institerim, per se intellegitur.

De auctore, quis fuerit aut quo tempore vixerit nihil comperti habemus, neque omnia quae in chronico leguntur uno tempore litteris mandata esse videntur; quaedam enim et maxime ea quae ad historiam regum Persarum spectant, maiorem antiquitatem sapiunt. Sed chronicon quale nunc est, a monacho quodam nestoriano, annis circiter 670-680 compositum fuisse, pro certo haberi potest. Monachum hunc, nec non monachum auctorem scripti maioris momenti quo ille usus est, in regione ʿIrāq vel Khūzistān floruisse opinatur Noeldeke.

[1] De hoc apographo codicis vetusti (in monast. Rabban Hormizd prope Mossul asservati) prius Borgiano, nunc Vaticano, breviter dixi in Ephemeride *Zeitschr. der Deutsch. Morgenländ. Gesellschaft,* t. XLIII, p. 389.

Accepi nuperrime collationem, ut aiunt, archetypi, quam rogatu viri doctissimi E. ℞. Rahmānī, Patriarchae Syrorum, in meum usum confecit Rev. ܩܫܫܐ ܐܦܪܝܡ ܢܩܠܡܘ, cui laudes gratiasque ago maximas. Archetypon (quod siglo R.H. notavi) non multum differt ab apographo romano, cuius menda partim neglegentiae librarii, alia vero ipsi textus *παραδόσει* tribuenda esse videntur.

Notitia bibliographica :

a. Editio : I. Guidi. *Un nuovo testo siriaco sulla storia degli ultimi Sassanidi*, Leide, J. Brill, 1891 (tiré des *Actes du huitième Congrès international des Orientalistes*).

b. Versio germanica : Th. Nöldeke. *Die von Guidi herausgegebene syrische Chronik übersetzt und commentiert*, Wien, 1893 (*Sitzungsber. d. Wien. Akad. phil.-hist. Classe*, B. CXXVIII).

*Eventus nonnulli ex Qlēsaṣṭiqē h. e. narrationibus ecclesiasticis et Qosmosṭiqē h. e. narrationibus ad res saeculares pertinentibus, inde a morte Hormizdae filii Chosrois usque ad finem regni Persarum. *p. 15.

Hormizda regnavit 12 annos, et durum servitutis iugum tum primoribus tum omnibus iniunxit. Quidam ex ducibus eius exercitus, nomine Warahrān, Rhagis oriundus, ad Turcarum fines ab eo missus, ab eo defecit, et multis copiis collectis, bellum contra regem paravit. Cum primores qui in regia sede aderant, atque itidem Hormizdam odio habebant, defectionis Warahrān certiores facti sunt, coniuratione inita, Hormizdam regno spoliaverunt obcaecaruntque, atque in eius locum Chosroem filium substituerunt. Cum rumor ad Warahrān perlatus est, valde iracunde tulit, non quod Hormizdam diligeret, sed quia ipse rem ad effectum non perduxerat. Quare suis copiis instructis, bellum paravit in Chosroem contra quem iter fecit. Cum autem intellexisset Chrosroes factionem Warahrān sua esse potiorem, eum fugit et viam meridionalem celeriter ingressus, h. e. per Pērōz-šāpūr, ʿAnāt, Hīt et Circesium, ad Mauricium imperatorem Romanorum confugit. Quando quidem fugiens iter fecerat, Mār Īšōʿyabh catholicus cum eo proficisci praetermisit; et ipse Mauricius multum vituperavit Chosroem, quod regni patriarcham comitem secum non haberet, *eo magis quod Mār *p. 16.
Īšōʿyabh, Arzon oriundus, vir erat sapiens et sollers. Et multum odium in catholicum suscepit Chosroes, quod una non profectus erat, tum secundo loco quod non obviam se dederat, cum ipsum, acceptis a Mauricio copiis, redeuntem audivisset. Sed catholicus regi obviam se dare praetermisit, nequitiam Warahrān metuens, ne ecclesiam perderet et consectationem in christianos conciret. Mauricius multas copias Chosroi tradidit, quae orientem versus iter fecerunt; qua re audita, Warahrān Māḥōzē profectus cum exercitu fugit in Ādhorbāygān. Contra hunc Chosroes cum copiis persicis et romanis perrexit; Romani victoriam consecuti sunt, copiis Warahrān devictis, Chosroes autem laetissimus reversus est. Narrant senis speciem apparuisse Chosroi, frenum equi regenti et ad bellum proficiscenti; quam rem post reditum a bello, cum Šīrīn uxori narrasset, «hic est» inquit ipsa «Sabhrīšōʿ episcopus Lāšum»; *Chosroes* animum rei intendit et tacuit.

Illo tempore e carcere egressi sunt Bindōy et Bisṭām fratres quos Hormizda in vincula coniecerat, et Chosroi multo adiumento fuerunt, quia e stirpe eius matris erant. Tunc *Chosroes* Bisṭām cum magno exercitu misit ad fines Turcarum, Bindōy vero in sua *regia* sede reliquit. Sed cum Bindōy de rebus ad rempublicam pertinentibus Chosroem reprehenderet, de eo occidendo hic cogitavit; fugit ille, Bisṭām fratrem petens. Sed eum per regionem Ādhorbāygān venientem, Marzbān (*praefectus*) illius loci, cum de eo audivisset, cena ei facta, comprehendit, et ad Chosroem misit. Quibus rebus perceptis, frater eius, copiis ex Turcis et incolis Dēlom (*Dailam*) collectis, Māḥōzē usque processit, sed Turca quidam ei insidiatus,
*p. 17. interemit eiusque caput ad Chosroem misit. *Ad Bindōy vero quod attinet, iussit rex eius membra dexterae partis omnia praecidi, ipsumque ad urbem Bē Lāpāṭ mitti, ubi cruci adfixit. Caput quoque Bisṭām, cervici Šāpūr filii Warahrān, qui ab eo *Chosroe* defecerat, suspenderunt, et *Sāpūr* camelo impositum, per sedem regiam circumduxerunt.

Īšōʿyabh autem antistes Christianorum, quando quidem magnum odium in eum Chosroes gerebat, tum quia secum una non profectus erat in ditionem Romanorum, tum etiam propter criminationes Timothei nisibeni archiatri, vehementer sibi a rege cavebat. Haud multo post, cum patriarcha ad urbem Ḥērthā Arabum (*Ḥīra*) profectus esset, regem Arabum Nuʿmān, qui christianus factus baptisma perceperat, invisurus, et cum prope Ḥērthā devenisset, morbo correptus, mortuus est in pago cui nomen est Bēth Qūšī. Qua re comperta, Hind soror Nuʿmān cum sacerdotibus et fidelibus urbis Ḥērthā exiit; et magna exsequiarum pompa corpus sancti viri *in urbem* intulerunt, quod Hind in monasterio novo a se exstructo deposuit. Mansit ecclesia per quoddam tempus sine rectore; tunc rege iubente synodus coacta est, ut *quibus suffragii latio esset*, caput, *patriarcham*, eligerent. Misit rex eis ut Sabhrīšōʿ *episcopum* Lāšum adducerent et sibi caput constituerent; quem festinanter adductum sibi caput constituerunt; et in multo honore habitus est quoad vixit, tum a rege tum ab ambabus eius uxoribus christianis, videlicet a Šīrīn aramaica et a Maryam (*Maria*) romana.

Erat Nisibi metropolita Gregorius urbis Kaškar, nec lingua potest contentiones et rixas multas enarrare quas inter hos duos sanctos viros (*Gregorium et Sabhrīšōʿ*) Satanas excitavit. [Ante] Gregorium fuit Nisibi per breve tempus Gabriel filius Rufini, quem expulerunt

quod totus esset in observando cursu siderum et signorum Zodiaci; *Gregorium vero episcopum Kaškar vi raptum adduxerunt. Urbs *p. 18. autem Nisibis, quae eadem est Antiochia Mygdoniae, et ab hortis ac pomariis quae ibi sunt nomen ducit, cum esset pariter [in confinio] Persarum et Romanorum sita, multi undique homines stulti et tumultuosi atque ad rixam prompti illuc conveniebant, praesertim propter celebrem scholam quae ibi erat. *S. Scripturae* interpres aderat Ḥĕnānā adiabenus, qui cum variis in rebus interpretem oecumenicum, *Theodorum Mopsuhest.*, in suis doctrinis vituperasset, studiosissimus hic *Gregorius* rem non toleravit. Voluit etiam clericos non bene moratos et ceteros fideles corrigere, sed non paruerunt. Quidam autem diaconus, qui cognomine Bar Taʿlē (*filius vulpium*) appellabatur, deprehensus est gallum album sacrificans in luco qui est extra urbem; eum vocavit et puniit, quosdam etiam monachos qui turpia facinora patrantes circum montem Šīgār commorabantur, dedecoravit et nusquam non depulit; erant quidem Mĕṣallĕyānē (*Messaliani*). Ex eo tempore multae factae sunt in eum accusationes tum Nisibenorum tum in propinquis urbi locis degentium; quare eum rex arcessivit, iussitque in monasterio Šāhdōst commorari. *Detestatus est Gregorius in Nisibenorum capita iram Dei*, decusso ad portas Nisibis pulvere pedum, et deinde excessit. Mār Sabhrīšōʿ Gregorium a dignitate deponere volebat, sed episcopos sibi assentientes non habuit; tunc rex domum redire iussit; illuc profectus, monasterium sibi aedificavit in regione Kaškar, in loco qui vocatur Bazzā dhe Nahrawāthā, ubi monasterium fundavit, multosque ad timorem Dei adduxit. Aiunt autem post abdicationem Gregorii non amplius datum fuisse patriarchae Sabhrīšōʿ miracula patrare ut antea.

Post haec Nisibis descivit a Chosroe; quod cum rex comperisset, *contra eam misit Nakhwergān virum in regni dignitatis gradu col- *p. 19. locatum cum multis copiis et elephantis, eique Mār Sabhrīšōʿ comitem addidit. Incolae urbis portas ei clauserunt; deinde blandimentis catholici permoti, et quia Nakhwergān iusiurandum dederat se nullo eos detrimento puniturum, portas ei aperuerunt. Sed ingressus ille, fidem foederis rumpens, spectatissimos civium deprehensos tormentis affecit, domos expilavit, omnia quae possidebant perdidit, eos denique omni mortis genere interemit. Itaque exsecratio in eos Gregorii ad effectum perducta est, quod et ipse Mār Sabhrīšōʿ intellexit.

Florebat tunc temporis Gabriel Dĕrustbadh (*medicus*), Šīgār oriundus, archiatrus, quem rex propterea carum habuit quod cum sanguinem ex brachio Šīrīn detraxisset, filius ei *Šīrīn* natus est, quem Merdānšāh appellavit, cum antea filios non haberet; Gabriel quamvis esset antea haereticus, *monophysita*, voluit sectae orthodoxae *Nestorianorum* adnumerari; sed quia uxorem legitimam quam duxerat, *Christum* confitentem (*ad Christi fidem conversam*), nobili genere natam, ex matrimonio expulerat, et duas uxores paganas duxerat, quibuscum pagano more vivebat, catholicus hortatus est paganas expellere et legitimam recipere, quod ille facere renuit; tunc ad sectam haereticorum rursus rediit, et sectae nostrae asseclis, *Nestorianis*, mala multa intulit.

Quo tempore Chosroes, Warahrān fugiens, in ditionem Romanorum devenit, dicitur a Nuʿmān Arabum rege petiisse ut secum proficisceretur, sed morem ille non gessit; equum etiam eximium ab eo poposcit quem dare recusavit; filiam quoque *regis* Nuʿmān, formosissimam, petiit Chosroes nec Nuʿmān assensus est; renunciavit autem Nuʿmān se viro qui pecudum more nuptias iniret, p. 20. filiam suam nuptum non daturum; quae omnia Chosroes *cumulata in animo servavit. Quo tempore vero Chosroes a bellis gerendis animum relaxavit, voluit inimicorum, et cum eis etiam *regis* Nuʿmān, iniurias ulcisci. Quamobrem olim Nuʿmān ad cenam condixit, sed pro pane frusta ex faeno confecta secavit; quod acerbissime tulit Nuʿmān et ad Maʿadd contribules suos misit, qui loca multa *ditionis* Chosrois depopulati sunt, captivis inde abductis, et usque ad ʿArabh devenerunt. Quae cum comperisset Chosroes valde obturbatus est, eumque multimodis adlectavit et invitavit ad se venire, quod ille facere renuit. Sed quidam ex interpretibus Nuʿmān, insula Dērīn oriundus, nomine Maʿnē, coniuratione cum Chosroe inita, asseveravit Nuʿmān vehementer regem eum adamare, et per Evangelium iuravit regem ei damnum non illaturum. Māwiyah quoque uxor Nuʿmān ait ei : «magis tibi convenit regis appellatione ornatum mori, quam expulsum et regis appellatione spoliatum vivere.» Cum vero ille aulam regiam adiisset, non quidem *Chosroes* eum occidit, sed in aula manere iussit; verumtamen postea, ut fama fert, illustrem hunc confessorem veneno letali sustulit.

Post haec vir quidam nomine Phocas seditionem contra Mauricium regem Romanorum movit, quem una cum filiis et uxore necavit; sed unus ex filiis aufugit, nomine Theodosius, et ad Chos-

roem venit; hunc rex honorificentissime excepit, et catholico praecepit ut ad ecclesiam perduceret, iussitque *ibi* coronam regiam altari *prius* superpositam dein eius capiti imponi, ut ritus est Romanorum. Tum copias ipsi tradidit Chosroes, quibus contra Romanos *qui cum Phoca stabant* progressus est. Misit quoque Phocas multas copias quae castra posuerunt in Bēth Wašī, ultra urbem Daram, et dimicatione cum Theodosio facta, eius copias profligarunt. Renunciavit hic Chrosroi non posse se, propriis viribus, Romanis obsistere; quare Chosroes cum multis *copiis hieme Mā- *p. 21.
ḥōzē profectus est, et in ditionem Romanorum advenit, catholicum comitem habens. Contra eos egressae sunt copiae Phocae, et militum contra milites impetu facto, multi ab utraque parte perierunt. Laqueum quoque ipsi Chosroi intenderunt, quem quidam ex eius heroibus, *viris fortibus*, nomine Muškān, excidit; postridie acie ordinata, Romani inferiores discesserunt a Persis. *Tunc* oppugnavit rex Daram, et aggeres exstruxit; *milites* sub moenibus rimas effoderunt ignemque subiecerunt, multisque modis adhibitis moenia labefactarunt; atque in ea *urbe* sanguinem veluti aquam effuderunt. Episcopus autem Darae venam quae catholica, *universa*, corporis vocatur sibi ferro secavit, et cum in lectulo recubuisset, sanguine effluente mortuus est; metuebat enim sibi a rege qui quadraginta mortis modis se eum occisurum esse iuraverat. Ex illo tempore praevalenti auctoritate pollebat Chosroes in ditione Romanorum. In deditionem subacta est Dara anno Chosrois decimo quarto.

Quo tempore Chosroes Daram oppugnavit, Radh (*praefectus*) quidam ad ecclesias urbis Sĕyārzūr devenit easque evertit; quae cum fideles vidissent cum episcopo Nathanael non tolerarunt, et turbis contra Radh excitatis, eum expulerunt. Venit ille Nisibim ad Chosroem quem concitans: «Tu, inquit, pro Christianis pugnas, dum ego a Christianis exagitor.» Rex re minime perpensa, Nathanael episcopum Sĕyārzūr arcessivit, et in custodiam per spatium sex annorum coniici iussit; postea cruci confixit. Quamquam enim Chosroes favorem erga Christianos per speciem ostendebat, Mauricii caussa, tamen gentem nostram odio prosequebatur.

Mār Sabhrīšōᶜ gravi morbo correptus est Nisibi; misit rex ab eo flagitans ut Gabrielem ab excommunicatione solveret, quod facere renuit; testamentum nuncupavit atque obsignavit, *iubens se in *p. 22.
suum monasterium deferri; Nisibeni vero corpus viri sancti in sua ecclesia deponere maluerunt, sed rex, iussu catholici comperto, non

adnuit, quare eius, *Sabhrišō*ᶜ discipuli corpus camelo impositum in eius monasterium transportaverunt.

Tunc catholicus factus est Gregorius, Phorāth oriundus, opera Šīrīn cuius erat popularis, cum fideles et ipse rex Gregorium urbis Kaškar, qui Nisibi expulsus fuerat, magis optarent. Nec bene se gessit in pontificatu, et cum paucos annos vixisset mortuus est; tunc propter dolos et odium Gabrielis in ecclesiam, mansit haec aliquamdiu sine duce, et propter Gregorii criminationes, loquendi copia *coram rege* ipsi, *ecclesiae rectori*[1] adempta est, quare in ecclesia constitutus est *patriarcha vicarius* Mār Abhā archidiaconus, Ctesiphonte natus, qui eam regeret, vir probus et sapiens, et longum tempus mansit ecclesia capitis expers. Gabriel autem Šīgār oriundus multa orthodoxis *nestorianis* minitatus, nostros e monasterio Mār Pethyōn et monasterio Sīrīn atque ex aliis monasteriis expulit, quae sectae haereticae asseclis, *monophysitis*, habitanda tradidit.

Ea aetate claruerunt in ecclesia Ionadab adiabenus qui familiaritate qua gaudebat coram Deo, et amore in regem[2], litteras regias obtinuit quibus ius potestatemque haberet in monte illo toto quem *monachi* s. Matthaei incolunt, urbis Mauṣel deceptores, *haeretici*. Sed cum viri desiderium eos expellendi et quoqueversus persequendi rex explevisset, doli Gabrielis non permiserunt *rem ad finem perducere*. Nominis famam adeptus erat in libris conscribendis Bār Ḥadhbĕšabbā urbis Holwān; moribus autem vitae eximiis clarebat Ṣubhḥālĕmāran urbis Karkhā dhĕ Bēth Sĕlōkh, et Afrahnoy(?)[3] regionis ad *fluvios* Zābh, et Gabriel urbis Nĕhargūl, vir magnus et miracula patrans.

*p. 23. *Tunc Gabriel contra nos regem excitavit ut cum suae sectae asseclis verbis contenderemus; cumque catholicus in ecclesia abesset, sponte ad disceptationem descenderunt Ionadab metropolita adiabenus, Šubhḥālĕmāran urbis Karkhā dhĕ Bēt Sĕlōkh, Georgius montis Izalae, item episcopus *urbis* Nĕhargūl et Sergius urbis Kaškar, Tell Paḥḥārē oriundus. Disceptatio in domo regia facta est; inferiores discesserunt Gabriel eiusque asseclae, orthodoxi vero nostri victoriam consecuti sunt. Reprehendit rex Gabrielem ut ab hac vexatione desisteret, sed recusavit. Quin imo acerbas contumelias dixit

[1] Vel «ipsi *ecclesiae*» si ܗ̇ܘ pro ܗܘ legimus. — [2] Verba commutata esse videntur pro «familiaritate qua gaudebat coram rege et amore in Deum». — [3] Nomen incertum; forte : Abraham.

Gabriel in orthodoxos, ipsumque Georgium Izalae coram rege accusavit, quod nempe dēn, *religionem*, Magorum deseruisset, christianus factus, Hormizdam *deum* et Kēwān (*Saturnum*) conviciis consectans. Misit rex, et per unius anni spatium in carcerem tradidit; deinde cruci adfixit in Behardašīr (*Seleucia*), in medio foro faeni. Fideles tunc cadaver rapuerunt, et in ecclesia s. Sergii in *urbe* Mabhrakhthā deposuerunt.

Nobilis erat eo tempore in aula regia Yazdīn, Karkhā Garamaeorum oriundus; erat hic ecclesiae defensor ut Constantinus et Theodosius, atque aedes sacras et monasteria ubicumque exstruxit, exempla Hierosolymae caelestis. Qui tam dilectus fuit Chosroi quam Josephus Pharaoni et amplius, adeo ut propter hanc rem celeber esset in utroque regno, Persarum videlicet et Romanorum. Ferunt Yazdīn hunc quotidie a mane ad posterum mane mille stateres mittere solitum ad regem.

Morum sanctitate ea aetate floruerunt Mār Bābhay montis Izalae, qui post Rabban Mār Abrahamum urbis Kaškar hoc monasterium prosperavit; permulti laboriosi fratres ex eo monasterio prodierunt, videlicet Mār Jacob monasterii Bēth ᶜĀbhē fundator, Mār *Elias qui *p. 24.
monasterium in ripa Tigridis ad Ḥesnā ᶜEbhrāyā exstruxit, Mār Bābhay filius Nisibenorum. Vir ille sanctus (*Bābhay Izalae*) omnia quae possidebat reliquit, atque ut anachoreta ad monasterium Mār Abrahami ascendit; postremo inde exiit, profectus, monasterium ipse quoque fundavit in viciniis eiusdem monasterii. Permulti fratres eo domicilium transtulerunt; et quamquam vir erat in civili societate illustris, maluit in duris operibus sanctitatis versari; eius autem vitae mores verbis superiores sunt. Quae cum comperisset Yazdīn, visendi gratia ad eum perrexit; et vitam omnem asceticam et corpus mortuum conspicientem Yazdīn et stantem, dimisit vir ille sanctus. Aliquanto post Yazdīn ei attulit crucem auream permultos hyacinthos et smaragdos pretiosissimos infixos habentem, in cuius media parte fragmentum ligni dominicae crucis Servatoris nostri positum erat, cum aliis rebus ad exornandum eius monasterium. Satanas vero rixae amator iurgia multa magnasque contentiones excitavit inter duas illas firmissimas religionis turres, *duo Bābhay*, nec conquievit aut desiit usque ad finem agonis, *vitae asceticae*, eorum. Asseclae, *monachi*, Mār Bābhay magni (*maioris*) nemini permittebant ut in suum monasterium intraret, quin anathema diceret in eximium Mār Bābhay nisibenum quem Bābhay parvum (*minorem*)

cognominaverunt. Breviter haec attigimus, sole enim magis perspicui et clari mores eorum, et scripta multa quae eos habent auctores testimonium dicunt de eorum *recta* confessione et puritate qua praediti erant. Scripsit autem Mār Bābhay magnus (*maior*) libros multos, disputationes atque interpretationes. Scripsit vero etiam sanctus Mār Bābhay nisibenus libros de moribus anachoretarum, qui auditores admiratione imbuunt, necnon homilias de poenitentia, quas adstricta oratione conscripsit.

*p. 25. *Post haec Chosroes copias collegit, et ditionem Romanorum ingressus, duo summos duces creavit quos occidentem versus misit. Hi subegerunt Maridem (Mardē), Amidam (Amed), Mayfarqēṭ et Edessam, et ponte Euphrati imposito, flumen traiecerunt ex adverso urbis Mabbog. Alter ex ducibus, cui nomen erat Šahrbarāz, Hierosolymam cito petiit et multam operam dedit ut *incolae* sibi portas aperirent, sed facere recusaverunt; quare bellum instruxit et aggere aedificato, murum *arietibus* perforavit atque urbem ingressus, episcopum et primores urbis apprehendit, vexavitque propter Lignum Crucis resque in thesauro adservatas. Cum autem vis Domini Romanos coram Persis perrupisset, eo quod sanguinem purum Mauricii imperatoris et filiorum effudissent, nullum locum absconditum reliquit Deus, quin ipsis manifestaretur. Lignum Crucis in horto olitorio positum atque absconditum ipsis commonstratum est, qui multis capsis fabricatis, *Lignum* cum multis vasis et rebus magni pretii miserunt ad Chosroem. Quae *supellex* cum ad Yazdīn pervenit, festum solemne celebravit, et regis concessu, parte ex eo *Ligno sibi* sumpta, ipsum *Lignum* misit ad regem, qui honoris caussa cum sacris vasis in aerarium novum quod Ctesiphonte aedificaverat, rettulit.

Tunc copiae Persarum obsederunt Alexandriam quae moenibus circumcluditur et Nili aquis circumdatur et portas habet firmissimas; quam *urbem* Alexander, suasore Aristotele magistro, fundavit. Diuturnum tempus *Persae urbem* oppugnaverunt neque capere potuerunt; tunc exiit ad eos quidam nomine Petrus, qui inde a pueritia e regione Qaṭar Alexandriam venerat, ut philosophiae studio operam daret; hic Persarum duci pollicitus est se ipsi urbem traditu-
*p. 26. rum. Hic autem Petrus olim *in tabulario urbis in calce libri cuiusdam scriptum invenit hoc exemplo : « quo tempore angustiae contra Alexandriam surgent, a porta occidentali quae ad mare respicit capietur. » Itaque se paraverunt Persae, et naviculis piscatoriis sumptis

insederunt et multo mane et adhuc in tenebris, galeris[1] piscatoriis tecti, piscatoribus admixti urbem ingressi sunt et portarum custodibus necatis, *portas* ipsas sociis patefecerunt, et Chosrois victoriam supra moenia renuntiarunt. Metu perterriti sunt omnes, et naves multas quibus thesauri ecclesiae et primorum *urbis*, ut mari in tutum transferrentur, impositi fuerant, ventus rapuit et ad castra Persarum detulit; qui *thesauri* missi sunt ad Chosroem cum clavibus urbis. Simul ac nuncius claves ferens pervenit ad Yazdīn, eadem nocte claves aureas pro ipsis confecit, et ad regem misit, quo regis favorem sibi magis conciliaret. Hierosolyma vero expugnata, Iudaei nostrum osores omnibus templis qui in ea erant ignem iniecerunt; per hoc incendium aedes etiam Resurrectionis (*Anastasis*) periit, a Constantino et Helena exstructa et marmoribus et musivo opere pretiosissimo exornata. Quin etiam ducem Persarum adierunt filii crucifixorum, *Iudaei*, aientes omne aurum et argentum et thesauros Hierosolymae sub sepulcro Iesu posita esse; machinabantur scilicet locum sepulcri delere. Et cum *dux* potestatem eis fecisset et in altitudinem trium fere cubitorum circa ipsum *sepulcrum* effodissent, arcam invenerunt inscriptam his verbis : « haec est arca Iosephi consiliorum ministri (βουλευτής) qui sepulturam dedit corpori Iesu. » Dux autem exercitus, machinationibus Judaeorum compertis, aspere eos expulit. De qua re certior factus Yazdīn regem edocuit, qui opes Iudaeorum adimi, ipsosque crucibus adfigi iussit. Ad corpus *autem Iosephi quod attinet, praeceperat Iosephus ante- *p. 27
quam moreretur, ut ad latus sepulcri Domini nostri deponeretur. Deinde Yazdīn veniam a rege petiit templa Hierosolymae reficiendi, et pecuniae summa haud parva missa, omnibus ornamentis renovavit; ecclesias quoque et monasteria ubique exstruxit.

Cum dux exercitus Persarum audivisset multas divitias Lyddae quoque in aede s. Georgii reperiri, permultos ex militibus misit, qui tamen divina vi impediti, *templum* ingredi non potuerunt. Postremo ipse dux animo valde irato ivit, et cum ad portam aedis pervenisset, equum *calcaribus* concitavit ut per vim ingrederetur; sed pedes equi solo haeserunt ita ut neque ante progredi nec retro

[1] Verbum ܣܝܪܢܐ quod frustra in lexicis quaeras (habet Brockelmann, sed hunc tantummodo locum laudat), ita interpretatur Nöld. componens cum talm. סירנא; recte, ut censeo; piscatores enim et navicularii Aegyptii propriis et peculiaribus galeris caput sibi operiebant, quibus facile a ceteris hominibus internosci poterant.

cedere posset. *Qua re* ostendit Deus, quod quamquam ei permiserat Hierosolymam intrare, non tamen *hoc factum fuisset quod* imbecilla esset Eius vis, sed ut Romanos corriperet negantes Chosroem Hierosolyma potiri posse. *Dux Persarum* vovit se rem ex argento facturum quae similitudinem templi s. Georgii referret, si sospes evasisset; quod reapse praestitit, et usque ad nostrum tempus mirifica haec res in eo templo pendet.

Post haec cum Chosroes in Dasqarthā dhĕ Malkā (*Pago Regis*) commoraretur, collegit Heraclius imperator copias multas et contra eum venit; conturbatus est Chosroes coram eo, et in magno metu versabatur. Heraclius regionem septentrionalem nactus, totam pessumdedit et vastavit, captivosque inde abduxit. Cum prope accessisset ad Dasqarthā, fugit Chosroes eius adspectum et perrexit Māḥōzē. Fama fert *Chosroem* cum fugam e Dasqarthā capessere statuisset, audivisse sonum tintinnabuli lignei; qua re perturbatus lumbum percussit, *et venter ei solutus est. Ait illi Šīrīn: «ne timeas, o deus!» cui ille: «qui sim deus, quem ecce presbyter persequatur?» Haec locutus est quia Heraclium audiverat dignitatem sacerdotii suscepisse; iuravit autem si victoriam adeptus fuisset nullam ecclesiam neque tintinnabulum ligneum in tota sua ditione relicturum. Terror autem et pavor qui ex sono tintinnabuli in eum inciderat, inde ortus quod putabat Romanos esse qui tintinnabula lignea secum portarent, iam iam ad Dasqarthā devenientes. *Heraclius* omnem gazam regiam asportavit, captivos abduxit et loca multa depopulatus retro cessit.

p. 28.

Post haec plures ex numero militum desciverunt a Chosroe; Šamṭā autem filius Yazdīn et Nĕhormizd, exsurgentes, regem crearunt Šērōy filium Chosrois, multis copiis circa eum collectis. Quae cum audivisset Chosroes, angoribus pressus est et letales dolores in ipsum inciderunt; et relicto regno noctu aufugit una cum duobus pueris ex eius famulis, qui se comites adiunxerant. Fugientes se in horto regio abdiderunt, et cum vidisset copias *inimicas* iam eum assecutas, ad invicem flebant, ipse et pueri. *Rex* manum porrexit in saepem, ut *hortum* ultra praetergrederetur et aufugeret, sed prae metu praetergredi non valuit. Quare captus est et adductus atque custodiae mandatus, in domo viri cuiusdam cui nomen erat Mihraspend; panis ei suppeditabatur quantus vitam eius sustentaret. Tunc Šamṭā et Nĕhormizd a rege Šērōy filio Chosrois veniam petierunt Chosroem occidendi; quod cum eis

permisisset ad Chosroem ingressi sunt, quo loco custodiebatur. Šamṭā gladium sustulit eum percussurus; tunc contra flens Chosroes ait: «quid in te peccavi qui me neces?» neque eum Šamṭā percussit, sed Nēhormizd securi percussit supra humerum, atque ictum supra alterum *humerum* iteravit. Funus ei fecit Sērōy filius, *et in sepul- *p. 29. crum regium inlatus est. Haec Šamṭā patravit, quod Yazdīn patre mortuo, Chosroes eius domum diripuisset et uxorem *Yazdīn* multo cruciatu affecisset; Nēhormizd vero quod eius patrem interemisset. Regnavit autem Chosroes filius Hormizdae triginta et octo annos.

Regnante Šērōy eius filio in pace et tranquillitate omnes Christiani vixerunt. Primores vero regis una cum Šamṭā, dolis instructis omnes filios Chosrois necaverunt, inter quos etiam Merdānšāh filium Šīrīn. Postea accusatus est Šamṭā coram eo *Šērōy* quod regnum occupare vellet; quare misit *rex* qui adducerent et in carcerem coniecit. Tunc fuga se eripuit Šamṭā, quem *tamen* insecuti invenerunt in urbe Ḥērthā Arabum (*Ḥīra*); rex dexteram eius truncavit cumque in carcerem dedit.

Ecclesiae caput creatus est Īšōʿyabh, Gĕdhālā oriundus, qui cum prima aetate uxorem duxisset non ideo impeditus est quominus episcopus crearetur urbis Balad; postremo ad munus catholici promotus est; erat autem omnibus animi virtutibus exornatus.

Šērōy quandoquidem tempora aestiva aderant, ut fert mos regum, in Mediam profectus est; tunc viscerum doloribus correptus, in itinere mortuus est; regnaverat autem octo menses.

Tunc ei regem suffecerunt Ardašīr filium eius et Anzoy romanae, quamquam adhuc puer erat parvus. Sed quidam e ducibus Persarum, Heraclio imperatori addictus, nomine Feruhān, de regno Ardašīr pueri certior factus, copias Romanorum et Persarum instruxit, Māḥōzē urbem petiit, et exercitu Persarum profligato, ingressus est urbem et necavit Ardašīr *regem;* Šamṭā filium Yazdīn e carcere eductum, ante portam ecclesiae Bēth Narqos cruci adfixit, quod olim filiam *huius ducis *Feruhān* conviciis affecisset. Romanos autem qui *p. 30. eum comitati fuerant, dimisit, qui ad Heraclium iverunt, et una cum eis misit ad Heraclium Lignum Crucis dominicae quod Hierosolyma retulerant et in aerario Persarum depositum erat, cum donis permultis sine fine. Regnavit autem Ardašīr annum unum et menses sex; Feruhān iste, dux exercitus, qui Ardašir necavit, regnavit quadraginta dies. Quem olim Māḥōze egressum quidam

ex eius heroibus hasta percussit a tergo, et mortuus et ab omnibus protritus est.

Regem sibi crearunt Persae Bōrān uxorem Šērōy, quae cum ad regnum pervenisset, misit prudenter Mār Īšōʿyabh catholicum ad Heraclium, pacis cum eo ineundae gratia. Eum *catholicum* comitabantur Cyriacus nisibenus nec non Gabriel urbis Karkhā Garamaeorum et Mārūthā urbis Gusṭrā. Perquam comiter ab Heraclio imperatore excepti sunt, qui eis in rebus omnibus quas petierunt morem gessit. Bōrān uxor Šērōy, quae in Persas dominationem habuit, postremo suffocatione obiit.

Regem crearunt in urbe Isṭakhr Yezdegerd, regia stirpe oriundum, sub quo regnum Persarum finem cepit. Itinere facto venit ille in urbem Māḥōzē et ducem exercitus sibi creavit nomine Rusṭam. Tunc contra eos incursum filiorum Ismaelis effecit Deus, *innumerorum* ut arena in littore maris. Quorum rector fuit Muhammad, neque moenia aut portae eis obsistere poterant, neque arma aut scuta, atque tota terra Persarum potiti sunt. Yezdegerd quidem innumeras copias in eos misit, quas tamen Arabes profligarunt et Rusṭam ipsum necaverunt. Yezdegerd moeniis Māḥōzē inclusum se tenuit, sed
*p. 31. postremo fuga sibi salutem petiit, *profectus ad terras Huzitarum et Marwanorum, atque ibi vita excessit. Arabes Māḥōzē et omnibus locis potiti sunt; devenerunt etiam in regionem Romanorum et loca omnia Syriae diripuerunt et depopulati sunt. Misit in eos Heraclius imperator Romanorum milites quorum plus quam centum millia Arabes necaverunt. Īšōʿyabh autem catholicus cum vidisset Māḥōzē ab Arabibus devastatam, et portas ad urbem ʿAqōlā delatas, et qui in urbe remansissent fame macerari, abiens sedem et domicilium habuit in Bēth Garmay (*Garamaea*) in urbe Karkhā.

Cyriacus nisibenus obiit et Nisibeni propter odium quod in eum gerebant, discipulos eius criminati sunt apud principem urbis, qui eos in carcerem coniecit; et cella, *domicilium* Cyriaci direpta est, simulque gaza sedis metropolitanae Nisibis. In cella Cyriaci vestes (*vel* vasa), et tunicae multae linteae (?) et sericae, et ephippia aurea, quae discipulorum Christi non sunt, inventa fuerunt. Tunc Mār Īšōʿyabh catholicus Barṣaumā interpretem urbis Ḥērthā arcessivit et metropolitam constituit in monasterio s. Sergii extra urbem *Nisibim*, ut pacem *Nisibeni* cum eo inirent et *libenter* exciperent, sed illi facere renuerunt.

Patriarchatum rexit Mār Īšōʿyabh octodecim annos atque eius

corpus depositum est in martyrio ecclesiae urbis Karkhā Garamaeorum. Mār Emmeh constitutus est patriarcha in ecclesia; erat hic regione Arzon pago Qozimar ortus, creatus fuerat metropolita urbis Lāpāṭ et habitum *monasterialem induerat in monasterio Mār *p. 32. Abrahami Izalae, multa laude celebratus dum fuit monachus et metropolita. Ex quo tempore vero super candelabro patriarchatus positus est, ab omnibus Ismaelitarum rectoribus in honore habitus est.

Aiunt autem pagum esse inter Māḥōzē et Ḥērthā positum, Māthāmasyā appellatum, quem totum Iudaei obtinebant. Cum olim scholasticus quidam eadem transiret, quidam ex filiis crucifixorum eum adprehendit, in suam domum rapuit diuque captivum retinuit, molam versantem. Tunc iussu regis, homo quidam christianus in eum pagum missus est ad negotium quoddam expediendum; qui Deo providente in ea ipsa domo devertit. Simul ac scholasticus eum conspexit, ingemuit, quare homo *ille* christianus herum adprehendit, qui ei omnem veritatem manifestavit, addens si culpam ignovisset, thesaurum eximium se ei patefacturum; et locum in sua domo monstravit, ubi deposita erant corpora sanctorum puerorum Ḥananiae nempe et sociorum. Rem huius scholastici providit Deus, ut thesaurus corporum sanctorum *puerorum* detegeretur. Narrant olim *catholico* Mār Emmeh Māḥōzē profecto et Ḥērthā urbem petenti, accidisse ut in eo pago pernoctaret et propter timorem *quem in animis excitabat*, magno honore exceptus esset *ab incolis Iudaeis*.

Exstruxit autem Mār Emmeh ecclesiam monasterii s. Sergi urbis Mabhrakhthā incendio consumptam, et variis diversisque ornamentis exornavit; multum autem excellebat hic antistes eximia virtute. Ad Bēth Lāpāṭ vero, unctum misit pastorem Sergium episcopum Něhargūl, virum eximium ac iustum. Nisibin quoque perrexit Mār Emmeh ut incolas cum metropolita reconciliaret, sed non paruerunt. *Quare Isaacum episcopum urbis Arzon arcessivit et super *p. 33. eos constituit, virum castum et eximium, qui per totam vitam impensis Ecclesiae nisibenae non est altus, neque eius opibus usus est, sed sibi suisque discipulis quae ad vitam necessaria essent e patria adferenda curabat.

Illa aetate e pago cui nomen est Pallughthā, *nempe* quo loco aquae Euphratis ad terras irrigandas dividuntur, prodiit homo quidam iudaeus, Bēth Aramāyē oriundus, asserens Messiam adve-

nisse; ille apud se colluviem textorum, tonsorum[1] et fullonum collegit ad quattuor centum homines, qui tres aedes sacras incendio deleverunt et moderatorem eius regionis necaverunt. Tunc vero exercitus ex urbe ʿAqōlā supervenit, eosque trucidavit cum uxoribus et filiis; princeps (*caput*) autem cruci suffixus est in ipso suo pago.

Item deprehensi sunt Manichaei in regione Behqawādh, in pago Šaṭrū appellato. Hos autem ferunt domi loco subterraneo includere solitos hominem ab ineunte anno, omnia ei edenda per totum annum suppeditantes quae ipse appeteret; tum denique eum occidere, hostiam daemonibus, et per eius caput divinationes et artes magicas toto anno tractare; singulos vero quotannis mactare. *Ferunt* etiam adferre solitos virginem intactam quacum omnes concumbebant, infantem autem qui ex ea nasceretur statim coquere donec caro et ossa veluti oleum fierent, tum in pistillo tundere et farina indita parvas placentas inde parantes conficere; tunc singulis sibi coniunctis singulam placentam comedendam dare, atque ita fieri ut numquam in posterum Manetem renegaturi essent. Verumtamen Dei consilio deprehensi sunt omnes, ope scholastici cuiusdam quem arripere volebant, sed ex eorum manibus evasit;
*p. 34. crucibus autem suffixi sunt una cum meretricibus *quas inclusas tenebant et quibuscum moechabantur; erant autem numero ad septuaginta.

Mār Emmeh, tres annos et sex menses patriarchatu perfunctus, mortuus est; corpus eius depositum est in monasterio s. Sergii urbis Mabhrakhthā.

Claruerunt ea aetate metropolitae et episcopi hi : Mār Sabhrīšōʿ urbis Karkhā, oleribus tantum per totam vitam vesci solitus; Isaacus nisibenus, Sabhrīšōʿ urbis Ḥērthā, Yazdpanāh urbis Kaškar, Aristos urbis Nĕhargūl, Moses urbis Ninive, Iohannes regionis *fluviorum* Zābh, Sabhrīšōʿ urbis Ṭrīhān, Sergius urbis Bēth Lāpāṭ.

Elias autem metropolita urbis Marū (*Merw*) permultos e Turcis aliisque gentibus ad fidem convertit; Marū autem flumen est de cuius nomine urbs et regio nomen acceperunt. Aiunt intra moenia ad XII parasangas se extendere, et intra murum exteriorem esse urbes et oppida multa, grani et hordei campos, hortos et παραδείσους. Exstructa fuit ab Alexandro filio Philippi, qui eam Alexandriam

[1] Si emendationem Hoffm. probamus, vertend. «tapetum textoribus».

nominavit; *Alexander* cum multas gentes in oriente subegisset et in deditionem redegisset, itinere facto in patriam reversurus, ad Euphratem fluvium, loco qui Bāgniqyā[1] appellatur, in regione babylonica, a servis veneno mortifero occisus est; regnaverat autem annos duodecim et menses sex. De Elia isto metropolita urbis Marū narrant haec: cum peragraret loca quae ad fines exteriores ex interiore parte sunt, regulus quidam ei obviam fuit qui ad bellum cum alio rege gerendum iter faciebat. A quo cum multum expetisset Elias ut bello desisteret, respondit ille se Dei eius, *Eliae*, cultum suscepturum, dummodo Elias miracula ostenderet, qualia sacerdotes deorum quos ipse colebat ostendebant. *Iussu autem reguli, [* p. 35.] sacerdotes daemonum cultores qui eum comitabantur, daemones quibus serviebant invocaverunt, et confestim aer obscuratus est nubibus, dum venti et tonitrua et fulgura sine intermissione ingruunt. Tunc divina vi commotus Elias caelesti cruce se signavit, et quam daemones rebelles congesserant hallucinationem cohibuit, quae subito omnino evanuit. Tunc regulus, visis quae sanctus Elias patraverat, pronus veneratus est, et cum suo comitatu fidem *christianam* amplexus est. Ad flumen quoddam eos deduxit *Elias*, atque ad unum baptizavit; tum sacerdotibus et diaconis constitutis in suam regionem reversus est.

Regnavit autem Seleucus triginta duo annos et fabricavit Antiochiam et Laodiceam, Seleuciam et Apamaeam, et Edessam quae est ʾOrhāy, et Beroeam quae est Ḥalab. Babylon autem haec quae hodie ita vocatur, a Semiramide fabricata est; Babylon vero antiquior sita est quo loco turris fabricata fuit. Ninus filius Beli fabricavit ʾArakh quae est ʾOrhāy, et Akkar (Akkad) quae est Nisibis, Kalyā (Kalnā) quae est Ctesiphon, Kālāḥ quae est Ḥaṭrē τοῦ Sanaṭrūg; Niniven quoque et Rehobot ipse aedificavit.

Hoc tempore quod supra diximus, Arabes, omni regione Persarum et Romanorum[2] subacta, effusi sunt et regionem quoque Huzitarum intrarunt, urbesque omnes munitas subegerunt, h. est Bēth Lāpāṭ, Karkhā dhĕ Lēdān, Šūšan arcem; tantum Šūš et Šōšṭrē remanserunt urbes munitissimae, neque ullus remansit e Persis qui Arabibus resisteret, nisi rex Yezdegerd et quidam ex eius ducibus nomine Hormizdān medus, qui copias collegerat et Šūš et Šōšṭrē occupaverat; Šōšṭrē autem haec est habitatu spatiosa, * et magnis flu- [* p. 36.]

[1] Bēniqyā fortasse legendum (N.). — [2] Textus habet «Aramaeorum».

viis et canalibus, quibus quasi fossa ex omni parte circumdatur, munitissima. Unus ex his *canalibus* Adrahšīragān (*Ardahšir.*) vocatur de nomine Adrahšīr (*Ardah.*) qui eum effodit; alter qui *urbem* interfluit vocatur Samīrām, de nomine reginae; tertius autem Dārāyagān, de nomine Darii. Horum omnium maximus est torrens copiosus qui de montibus septentrionalibus devolvitur. Tunc contra Hormizdān medum ascendit dux quidam Arabum Abū Mūsā cognominatus, qui urbem Basra, Arabum domicilium aedificavit, quo loco Tigris in mare magnum influit, inter terram cultam et desertum, quemadmodum Sacd b. [Abū] Waqqāṣ quoque urbem cAqōlā aedificavit, alterum domicilium Arabum, «Kūfā» appellatam propter sinum (*Kĕfīfūthā*) Euphratis. Quo tempore Abū Mūsā contra Hormizdān perrexit, iste Hormizdān caussas confinxit ut illum a bello secum *gerendo* deterreret, donec sibi exercitum collegisset; quare ad Abū Mūsā misit ut captivis abducendis et vastationibus absisteret, tributum se daturum pollicitus quodcumque sibi impositurі essent. Atque ita manserunt duos annos; tunc Hormizdān moeniis *munitissimis* fisus, pacem quae inter eos erat rupit, atque homines qui legationes inter eos obibant occidit, e quorum numero fuit Georgius episcopus *urbis* Ulay; Abrahamum vero metropolitam Porāth in custodiam coniecit; tum copias multas contra Arabes misit quas tamen cunctas Arabes deleverunt. Quare Arabes *properarunt* Šūs obsidione stringere, eaque post paucos dies in deditionem subacta, spectatissimum quemque ex iis qui in urbe aderant necaverunt. Tum domo in ea *urbe* sita, quae domus s. Danielis nuncupatur, occupata, thesaurum ibi inclusum surripuerunt, qui regum iussu inde a temporibus Cyri et Darii servabatur. Arcam vero argenteam in qua depositum erat corpus aromatibus conditum, sive Danielis,
*p. 37. ut multi dicunt, *sive Darii regis, ut alii asserunt, diffregerunt atque abstulerunt. Šōštrē quoque urbem obsidione cinxerunt et per biennium ut expugnarent certaverunt. Tunc homo quidam Qaṭar oriundus et eius *urbis Šōštrē* accola, alteri consociatus cuius domus supra moenia sita erat, coniurationem inierunt ambo, et cum Arabes adiissent, polliciti sunt se eos in urbem introducturos, dummodo tertiam partem praedae urbis dedissent; pactione inter se facta, foveas intra moenia sub muro effoderunt, atque Arabes introduxerunt qui Šōštrē subegerunt, sanguinem veluti aquam in ea effundentes et interpretem urbis, nec non episcopum *urbis* Hormizd-Ardašīr, cum ceteris scholasticis, presbyteris et diaconis necave-

runt, eorum sanguine in sanctuario effuso; Hormizdān vero vivum deprehenderunt.

Post haec prodiit quidam ex Arabibus, nomine Khāled, qui occidentem versus perrexit, regiones et urbes occupans usque ad ʿArabh. Heraclius imperator Romanorum, his rebus compertis, magnum exercitum in eos misit, cuius dux nominabatur Sacellarius (Σακελλάριος); sed ab Arabibus devicti sunt, qui plus quam centum millia Romanorum et ducem interemerunt. Īšōʿdadh quoque Ḥērthā urbis episcopum ibi, *in urbe Šōsṭrē*, degentem apud ʿAbd Mašiḥ, qui legationis officio inter Arabes et Romanos fungebatur, necaverunt; potiti sunt autem Arabes tota regione Syriae et Palaestinae. Aegyptum quoque ingredi erat in animo, sed non valuerunt; custodiebantur enim fines exercitu magno et vi, a patriarcha Alexandrino, locis quoque quibus *hostes* in regionem ingredi aut egredi possent praeclusis, et exstructis in ripa Nili per omnem regionem muris, quorum altitudine coerciti Arabes ingredi et occupare Aegyptum, Thebaidem et Africam *provinciam* aegre potuerunt. Heraclius imperator, *dolore oppressus, quod Romani profligati essent, ad urbem *p. 38.
regiam perrexit, et morbo correptus, mortuus est; regnaverat autem cum filio viginti et octo annos.

Verumtamen victoria filiorum Ismaelis qui duo illa regna munita vicerunt et subegerunt, a Deo fuit qui tamen eos Constantinopoli potiri usque adhuc non sivit; quamobrem victoria est ei *Deo*, *non Arabibus* tribuenda. De tholo autem Abrahami quid sit nihil invenimus, nisi quod cum beatus Abraham divitiis abundaret et simul longius discedere vellet ab invidia Cananaeorum, maluit in locis longinquis et late patentibus deserti habitare; atque, utpote qui in tentoriis commoraretur, ad Deum adorandum et hostias offerendas locum illum aedificavit, atque ex eo, qualiscumque fuit, hic qui nunc est cognomen sumpsit; quia una cum stirpis progenie loci quoque memoria servata est. Nihil autem novum faciunt Arabes dum ibi *Deum* adorant, verum ab omni antiquitate usitatum, utpote qui honorem tribuant patri, suae gentis capiti. Urbs quoque Haṣor quam caput regnorum S. Scriptura appellat, ad Arabes pertinet, et Medīna appellata est de nomine Midyan quarti filii Abrahami, quem a Cetura susceperat; quae urbs Yathrib quoque nominatur. *Arabum sunt* Dūmat Gandal et regio Hagaraeorum (*Hagar*) aquis abundans et palmis atque solidis aedificiis. *His rebus* pariter affluit regio Ḥaṭṭā (*Atta*) ad littus maris sita, prope insulas Qaṭar; densa est

variis diversisque plantis. Huic similis est regio Mazūn, quae pariter in ora maritima sita est et in amplius quam centum parasangas se extendit; et regio Yamāma in medio deserto sita, et regio Tāwāf
*p. 39. (*Taif?*), nec non Ḥērthā *urbs in qua Mundar rex sedem habuit, cognominatus Ganbarā, qui sextus est ordine ex quo initium ceperunt reges Ismaelitae.

Finem hic capiunt nonnullae rerum notitiae ex historia ecclesiastica depromptae.

CHRONICA MINORA

PARS SECUNDA

EDIDIT E.-W. BROOKS

INTERPRETATUS EST I.-B. CHABOT.

I

CHRONICON MARONITICUM

EDIDIT E.-W. BROOKS

INTERPRETATUS EST I.-B. CHABOT.

Chronici huius reliquiae, praeter duo folia manca quae ad eundem codicem olim pertinebant et nunc Petropoli, initio codicis qui Eusebii Historiam Ecclesiasticam continet praefixa, exstant, in Cod. Brit. Mus. Add. 17, 216 f. 2-14 asservantur; unde a Nöldeke et Nau excerpta quaedam edita et translata sunt. Nunc vero primum, additis fragmentis Petropolitanis, quorum phototypiam faciendam, qua est comitate, curavit A. A. Vasilyev, integrae vulgantur.

Codex saeculo VIII° vel IX° exaratus est, secundum Wright (*Cat.*, p. 1041). Auctorem autem Chronici Maronitarum sectae addictum fuisse ex ipsius verbis (cf. infra, p. 55, l. 3) liquido constat.

Quoniam ultima fragmenta, quae ad ann. 664 pertinent, viri coaevi opus esse videntur, verisimile est non multo post compositum esse Chronicon. Auctor usque ad ann. 361 (inde ad ann. 658 lacuna est in codice) eisdem quibus Michael Syrus plerumque usus est fontibus; e Chronico Eusebii, et Theodoreti Historia Ecclesiastica et Haereticarum Fabularum Compendio directe vel indirecte hausit. Historia Manetis non solum cum Michaele sed etiam cum Socrate et Epiphanio affinitatem redolet, sed a neutro horum derivata esse videtur.

Notitia bibliographica :

Codicis descriptionem reperies apud Wright, *Catalogue of the Syriac manuscripts in the British Museum*, pag. 1041; London, 1870.

Editiones : Th. Nöldeke, *Zur Geschichte der Araber im 1 Jh. d. Hig. aus syrischen Quellen* (*Zeitschr. der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft*, Bd. XXIX, p. 82 sqq.); Leipzig 1875. Textus ultimae partis cum interpretatione germanica, et eruditis adnotationibus.

F. Nau, *Opuscules Maronites*, 1re partie, App., p. 32 sqq., 2e partie, p. 1 sqq.; Paris 1899, 1900 (Extrait de la *Revue de l'Orient Chrétien*). Excerpta nonnulla cum interpretatione gallica.

E.-W. B.

. . . .

. . . .[1]

Alexander, in quo adimpleta est prophetia Danielis de hirco caprarum qui venit et occidit arietem post annos 240, mortuus est «et confractum est cornu eius magnum, et orta sunt quattuor *cornua* subter illud[2]». Audacter enim egerunt servi eius et regnaverunt post eum. Unus ex eis est Ptolemaeus filius Lagi, id est filius leporis. Regnavit autem in *urbe* Alexandria annos 40.

Eo anno quo regno potitus est, cepit Hierosolymam dolo; et captivitatem exinde abduxit quam in Aegypto collocavit.

Notus erat hoc tempore summus sacerdos Iudaeorum Ḥonias filius Ioiadae.

Hi sunt qui regnaverunt post Alexandrum : in Macedonia regnavit Philippus qui et Aridaeus, frater ipsius Alexandri; et in Asia, Antigonus; et in Macedonia, Cassander; et in Syria, Seleucus.

Hoc tempore Antiochus Antiochiam absolvit; et vocata est ab eius nomine Antiochia.

Anno 13° imperii Ptolemaei filii Lagi, regnare coepit super Syriam et Babel, Seleucus Nicator, annos 32, *nempe* postquam Alexander natus est annis 45, postquam regno potitus est *annis* 25, et postquam mortuus est annis 13. — Ab initio regni eius incipit aera Graecorum, quae vocatur Alexandri.

Colliguntur autem anni ab Adamo hucusque : 5197; — ab Olympiade prima : 469 anni[3], qui sunt Olympiades 117 et superest annus unus; — ab incendio *templi Salomonis : 280, et ab eius reaedificatione 206. — Si quis itaque vult scire quantus annus indictionis solaris sit hic annus, aut lunaris, aut *periodi* quindecimalis, aut quadriennalis, sine augmento vel demunitione : divide annos ab Adamo per XXVIII, qui fiunt indictiones 185, et supersunt anni 17; item, divide per XIX : fiunt indictiones 273, et supersunt anni 10; item, divide per XV : fiunt indictiones 346, et supersunt anni 7; item divide per IV : fiunt indictiones seu olympiades, ab Adamo, 1299, et superest annus unus. — Haec autem Olympias, quae est *spatium* quattuor annorum, post annum bisextilem incidit semper; sunt autem qui dicant esse annum bisextilem.

*p. 44.

[1] Initium deest. — [2] DAN., VIII, 8, 21, 22. — [3] Ms. : 499.

— Annos autem qui supersunt adde annis Alexandri, quotiescunque vis cognoscere initium anni, et lunam Romanorum, et indictionem, et annum bissextilem. Si vero ab Adamo computes, non debes addere vel detrahere *quidquam*. Est enim annus a quo incipit aera Graecorum *annus* ab Adamo 5198us, annus 2us Olympiadis $CXVII^{ae}$; initium habuit feria secunda; fuit autem in luna Romanorum *annus* 2us, in indictione *annus* 8us.

Anno 30° eiusdem Ptolemaei filii Lagi, regnavit in Macedonia Demetrius, annos 6.

Hoc tempore, aedificavit Seleucus Apameam, et Alepum, et Edessam, et Seleuciam, et Laodiceam.

Notus autem erat summus sacerdos Iudaeorum Simeon filius Honiae.

Etiam Romae fuit census : inventae sunt myriades populi XXVII.

Post Simeonem summum sacerdotem fuit Eleazarus eius frater.

Hoc tempore cepit Seleucus Nicator Demetrium in Sicilia[1], et Asia potitus est.

*p. 45. *Et anno 29° aerae Alexandri regnare coepit in Aegypto Ptolemaeus [II](2) Philadelphus, annos 38. Et statim dedit libertatem captivis Iudaeorum qui erant in Aegypto; et misit oblationem Eleazaro summo sacerdoti, qui *erat* Hierosolymis.

Eodem tempore, venit Serapis Sinope Alexandriam, qui a nonnullis vocatur Apis, ab aliis autem Osiris; et quia disputatio orta est constituerunt idola secundum haec nomina, et ab eis vocabatur duplici nomine Serapis.

Anno 5° Ptolemaei, qui est annus 33us ab Alexandro, olympiade $CXXV^{a}$, indictione 10^{a}, misit Ptolemaeus apud Eleazarum summum sacerdotem Iudaeorum ut ad se remitteret cunctos libros Hebraeorum et *viros* qui scirent hebraice et graece, ut traducerent illos ex hebraeo in graecum. Cum autem *pontifex* misisset ei legisperitos, qui sunt LXXII, *rex* aedificavit eis in insula Pharo cellulas XXXVI : unam cellulam duobus *viris*, monens quidem eos ne mutarent quidquam. Verterunt autem *libros* intra dies LXXII. Singuli duumviri omnes libros verterant ; verterunt itaque tringinta sex exemplaria; et, cum inter se collata fuerunt omnia, inventa sunt quasi unus omnia vertisset. Reposuit hos *libros* in libraria *seu* bibliotheca Alexandriae. Inde processit recensio Septuaginta.

[1] Sic ms. et Michael; Sync. (p. 519) : ἐν Κιλικίᾳ. — [2] Numeri isti uncis inclusi, hic et infra, in codice ad marginem appositi sunt.

Nomina autem virorum qui libros interpretati sunt haec sunt : — E tribu Ruben, vi : Ioseph, Ezechiel, Zakarias, Ioḥannes, Ezechiel, Eliseus. — E tribu Simeon, vi : Iudas, Simeon, Addai, Samuel, Matthias, Šalmias. — E tribu Levi, vi : Nehemias, *Ioseph, *p. 46. Theodos, Bassus, Ḥonias, Decius. — E tribu Iudae, vi : Ionathan, Abrai, Eliseus, Ḥananias, Zakarias, Ḥelcias. — E tribu Issachar, vi : Isaac, Iacob, Iesus, Sembaṭ, Simeon, Levi. — E tribu Zabulon, vi : Iudas, Ioseph, Simeon, Zakarias, Samuel, Šatmaia. — E tribu Gad, vi : Sembaṭia, Ṣedecias, Iacob, Isaac, Osias, Matthai. — E tribu Aser, vi : Theodos, Iason, Iesus, Theodotus, Ioḥannes, Ionathan. — E tribu Dan, vi : Theophilus, Abraham, Aedesimus, Iason, Ieremias, Daniel. — E tribu Nephtali, vi : Ieremias, Eleazar, Zakarias, Banaias, Eliseus, Dathan. — E tribu Beniamin, vi : Agesilaus (?), Iohannes, Theodos, Arison (?), Abṭai, Ezechiel. — E tribu Ioseph vi : Kaleb, Samuel, Ioseph, Iudas, Ionathan, Dositheus. — Universi LXXII.

Rursum, anno 5° eiusdem Ptolemaei Philadelphi, regnavit super Syriam et Asiam, post Seleucum, Antiochus Soter, annos 19; et in Macedonia regnavit Antigonus, annos 36.

Eo tempore, mortui sunt Epicurus, et Platon; et surrexerunt Archelaus et Qraṭos[1] philosophi. Etiam Nicomedus[2], rex Bithyniae, condidit urbem et vocavit eam e suo nomine Nicomediam.

Anno autem 24° eiusdem Ptolemaei, rursum regnavit super *Ṣyriam et Asiam Antiochus qui vocatus est Theos, annos 15. *p. 47.

Eodem tempore vicerunt Romani Carthaginienses navibus et ceperunt in Libya civitates c.

Hoc tempore, post Eleazarum summum sacerdotem Iudaeorum accepit eius sacerdotium Manasses eius patruus.

Et anno 34° eiusdem Ptolemaei, rebellarunt Parthi, qui sunt Persae, adversus Macedones, et super se constituerunt regem cui nomen Arsaces et appellati sunt Arsacidae.

Et anno 67° aerae Graecorum, indictione 4ª, regnavit super Aegyptum Ptolemaeus Euergetes, annos 26.

Eodem anno, regnavit in Syria Seleucus Callinicus, annos 20.

Summus autem sacerdos notus erat Ḥonias filius Simeonis; qui cum nollet dare tributum regi Aegypti factus est ei inimicus.

[1] *Sic* ms.; Πολέμων....μεθ'όν Ἀλκέτας καὶ Κράτης (Sync., 525, 3; cf. Eus. Hieron. ann. 1749). — [2] Ms. *Nicodemos.*

Anno 4° Ptolemaei, regnavit in Macedonia Demetrius, annos 10.

Et factus est rursum census Romae : fuerunt autem populi myriades XXVI.

Eodem tempore conditum est Callinicum a Seleuco Callinico.

Anno 15° eius Ptolemaei, Olymp. CXXXVII^a^, indictione 3^a^, qui est secundum Graecos *annus* 81us, constitutus est summus sacerdos Iudaeorum Simeon, filius Ḥoniae, qui erat pater Iesu filii Sirae. Et hoc tempore composuit librum celebrem Sapientiae, qui vocatur *liber* Bar Asirae. Habet sententias MMDL. Quidam dicunt hunc
*p. 48. Simeonem sacerdotem *portasse Christum in ulnis suis, quia vinctus[1] est usque ad hoc tempus, scilicet per annos 216.

Et anno 21°, regnavit in Syria Seleucus Ceraunus, annos 3; et post eum Antiochus Magnus, annos 36.

Anno 93°, indictione 6^a^, regnavit Ptolemaeus [IV] Philopator, annos 17. — Tum inceperunt res gestae Machabaeorum[2].

Anno 9° huius Ptolemaei, devictus est ab Antiocho Magno qui subiugavit eum et venit in Iudaeam eamque subegit.

Anno 110°, regnavit Ptolemaeus [V] Epiphanes, annos 21. Misit Scopam ducem exercitus eius et expugnavit civitates Syriae et Iudaeae; ei occurrit Antiochus Magnus eumque devicit, et abstulit ab eo omnes civitates[3] . . . .

. . . .

Misit Antiochus Gorgiam cum exercitu CXX milium Hierosolyma. Dum autem pugnant cum Iudaeis, vidit Eleazarus, cognominatus Ḥauran[4], elephantem magnum in quo sedere regem existimavit; subter eum se immisit et eius ventrem gladio pupugit : elephans autem vacillavit et cecidit super eum, et mortuus est *Eleazar*. Cum autem cessavisset pugna collegerunt cadavera et sepelierunt Hierosolymis : dum autem colligunt, invenerunt sub vestimentis uniuscuiusque eorum ex auro idolorum lamniae[5]. Iudas etiam Machabaeus misit tria milia argenti sacerdotibus qui erant Hierosolymis ut offerrent sacrificium pro eis qui mortui sunt et eorum misererentur, propter spem resurrectionis mortuorum.

Et eodem tempore, fecerunt Iudaei et Romani amicitiam ad invicem.

[1] Fabula apud Syros vulgata; «*asira*» syriace «vinctus» audit. — [2] Cf. Eus. armen. ann. 1795; hier. 1797. — [3] Deest folium unum tantum, ut mihi videtur. — [4] Αὐράν (I Mach., VI, 43, cod. Sinait.). — [5] Cf. II Mach., XII, 40.

*Anno 151°, exiit Demetrius Soter, filius Seleuci, Roma, et venit occupavitque regnum patrum suorum, annos 12. Antiochum et Lysiam eunuchum occiderunt milites eius. *p. 49.

Et eodem tempore, cum occisus fuisset Menelaus, summus sacerdos, ei successit Alcimus impius; et quidem non erat e genere Iudaeorum, sed munere *oblato* constitutus est. Ḥonias autem filius Ḥoniae, *id* cum videret, fugit in Aegyptum, et aedificavit ibi civitatem et templum ad instar *templi* Hierosolymitani. Attigit autem iudicium Dei Alcimum impium, et mortuus est; et constituerunt eius loco Iudam Machabaeum.

Et anno 152°, mortuus est Iudas, et eius loco stetit Ionathan eius frater, annos 19 : fuit autem gubernator populi et sacerdos. Persecutus est autem Bacchidem[1] ducem exercitus Demetrii eumque vicit.

Et anno 160°, Ptolemaei 29°, regnavit Alexander filius Antiochi Epiphanis, annos 10. Et mox occidit Demetrium; et etiam in Aegyptum progressus est eamque subegit; et dedit ei rex Aegypti suam filiam. Alii autem dicunt filiam Ptolemaei Euergetis fuisse. Quidquid est, dixit Hippolytus in ipsa adimpletum esse quod dicitur apud Danielem[2] : « Filia regis Austri dabitur regi Septentrionis. » Theodoretus autem in ea quam dedit Ptolemaeus Epiphanes Antiocho Magno adimpletum esse dixit; et hoc verisimile est.

Et anno 165° Alexandri, regnavit Ptolemaeus [VII] Euergetes, annos 29.

Et eodem tempore, instituit Ionathan summus sacerdos et dux Iudaeorum pactum amicitiae cum Spartiatis qui sunt Romani.

Et anno 167°, qui est Ptolemaei *annus* 3us, occidit *Demetrius filius Demetrii Alexandrum, et regnavit annos 3. *p. 50.

Anno 170° Alexandri, 6° Ptolemaei, occisus est Ionathan a Triphone duce exercitus Demetrii, dolo; et, stetit post eum Simeon frater eius, annos 8.

Et eodem tempore dedit Ptolemaeus Demetrio filiam suam et regnum Alexandri.

Anno 174°, regnavit in Syria Antiochus, frater Demetrii, qui cognominatus fuit Sidetes, annos 9.

Et eodem tempore, misit Simeon Romam clypeum aureum, et constituerunt ei foedus in tabula aerea. Item, hoc tempore misit

[1] Ms. : *Bīkōrōs*. — [2] Dan., xi, 6.

Simeon Iohannem filium suum adversus Cendebaeum, ducem exercitus Antiochi. Cum autem ivisset, vicit eum et diripuit eius exercitum; et liberati sunt Iudaei a servitute gentium post annos 28; subacti sunt enim anno 143° et liberati sunt anno 170°, anno primo gubernationis Simeonis. Liberati sunt etiam a tributo; regnante enim Seleuco Nicatore et incipiente aera Graecorum, tributarii facti erant Iudaei regibus Syriae. — Et eodem anno explicit historia secunda Machabaeorum.

Anno 177°, Ptolemaei 11°, indictione 4ª, occisus est Simeon a Ptolemaeo filio Ḥabubi, mense šebaṭ; et surrexit post eum Iohannes filius eius, qui cognominatus est Hyrcanus, annos 28.

Et eodem tempore inceperunt gubernatores constitui Edessae usque ad reges posteriores e familia Abgari.

Et anno 182°, Ptolemaei 17°, necavit Arsaces Parthus Antiochum Sidetem, et surrexit post hunc Demetrius filius Demetrii
*p. 51. altera vice[1] annos 4. Et post eum *regnavit Antiochus Agrippas[2] annos 12.

Mox autem processit adversus Hierosolymam et eam oppressit vehementer. Videns autem Iohannes Hyrcanus, aperuit sepulcrum Davidis, quod ab omnibus regibus ornatum fuerat, indeque extraxit talentorum aureorum tria milia, e quibus trecenta talenta dedit Antiocho qui recessit ab Hierosolymis.

Et eo tempore, evertit Hyrcanus Samariam, quam reaedificavit et vocavit Sebastiam (Herodes[3]).

Ab hoc anno 186°, quo regnavit Antiochus et processit adversus Hierosolymam, incipit aera Tyriorum.

Anno 194°, indictione prima, regnavit Ptolemaeus Soter, annos 17. Et mox processit Hyrcanus gubernator Iudaeorum in bellum cum Antiocho; et occiderunt Sidetem[4] ducem exercitus regis Parthorum.

Anno 198°, Ptolemaei 4°, regnavit in Syria Antiochus Cyzicus, annos 18.

Hoc tempore fuit terrae motus Rhodi et ruit colossus.

Anno 205° Alexandri, Ptolemaei 11°, mortuus est Iohannes qui et Hyrcanus, et surrexit *post eum* filius eius Aristobulus, anno uno. Ipse fuit *simul* sacerdos et rex, prima vice apud Iudaeos, elapsis annis 484 ab incendio Templi et cessatione regni eorum. At vero

[1] Sic legendum; *τὸ β'*. Ms. : «altera». — [2] *ὁ Γρυπός* (Sync.). — [3] Cf. Eus. ann. 1898. — [4] Cf. Ios., *Antiq.*, XIII, VIII (*'Ινδάτης*).

erant Aristobulo fratres : Iohannes[1] qui et Alexander, et Antigonus quem dolo et invidia occidit. Eo loco quo effusus est sanguis huius, ibidem sparsus est etiam illius sanguis. Vaticinatus enim erat eis Iohannes, pater eorum, quod non multum clari futuri erant in gubernatione; habebatur enim sermo cum patre eorum a Deo.

Anno 207° aerae Graecorum, mortuo Aristobulo, surrexit Iohannes, qui et Alexander, *frater eius, annos 27. Hic quoque dure et graviter regebat populum. *p. 52.

Eodem tempore, expulsus est Ptolemaeus Soter a Cleopatra, matre sua, e regno; et surrexit post eum Ptolemaeus [IX] Alexander annos 10, anno 211° aerae Graecorum.

Anno 208° incipit aera Ascalonitarum.

Anno 216°, Ptolemaei 5°, necavit Pompeius, dux exercitus Romanorum, Antiochum Cyzicum, postquam is patrem suum cremaverat; et regnavit post eum super Syriam Philippus, annos 2.

Postea cessavit regnum Syriae, anno 217° aerae Alexandri, quae incipit ex quo regnavit rex primus in Syria, qui est Seleucus Nicator.

Anno 222°, regnum obtinuit iterum Ptolemaeus qui *a matre* pulsus fuerat, annos 8 alios.

Eius tempore, facta est descriptio populi Romae; inventae sunt myriades XLVI, et animae insuper trecentae[2].

Etiam Capitolium ibidem incensum est a Thracis.

Anno 229° aerae Graecorum, Antiochenorum autem 2°, regnavit super Aegyptum Ptolemaeus Dionysius, annos 30.

Anno 5° huius *Ptolemaei*, qui est annus 234us secundum Graecos, mortuus est Alexander qui et Iohannes, et surrexit Alexandra uxor eius, quae cognominata est Salina, annos 9. Observantissima erat mandatorum et puniebat eos qui ea solvebant. Habebat autem duos filios : Hyrcanum et Aristobulum; fecerat vero filium suum Hyrcanum summum sacerdotem, quo facto valde contenderunt inter se; post autem *perturbationem sancitum fuit ut esset Hyrcanus summus sacerdos, et Aristobulus rex. Venit autem Pompeius, dux exercitus Romanorum, et abduxit Aristobulum in captivitatem Romam vinctum; et constituit Hyrcanum summum sacerdotem, anno 14° Ptolemaei, 243° Graecorum : stetit autem annos 33. *p. 53.

Et eo tempore, vastaverunt Romani Antiochiam Syriae. Iudaeos

[1] Ἰαννaῖος. — [2] Sic ms.; lege : 3000 (Eus. hier. ann. 1932).

quoque tributarios fecerunt; et loca alia multa subegerunt. Constituerunt procuratorem super Iudaeam virum nomine Antipatrum. Is Antipater gentilis fuit, filius sacerdotis cuiusdam, cui nomen Herodes. Cum enim Idumaei in rapinam exiissent captivum eum abduxerant e templo idoli Apollinis quod ad murum civitatis Ascalonis. Herodes autem pater eius aurum non habebat quod daret ad liberandum Antipatrum filium suum ; qua de causa cum eis ivit. Puer autem cum crevisset accepit filiam Aretae regis Arabum, quae vocabatur Cypris. Dein factus est amicus Hyrcano summo sacerdoti Iudaeorum, et multum egit pro eo in contentione cum eius fratre, et eius gratia adivit Pompeium ducem exercitus Romanorum hac de re; factus est quoque amicus Romanis qui etiam procuratorem super Iudaeos eum constituerunt. Porro, erant ei filii ex Cypride araba : Ioseph, Pherôras [1], Phaselaus [2] et Herodes, et filia cui nomen Salome. Phaselaus et Ioseph paulo post [3]. . . . . . .

. . . .

. . . . fuit census Romae, et inventae sunt myriades hominum CCCCXVI et milia IV.

* p. 54. *Anno 18° Augusti, misit Tiberium ducem exercitus in Armeniam; subegit etiam Cyzicenos; et dedit libertatem civibus Sami.

Eodem tempore, vocaverunt Romani diem intercalarem anni quarti idus [4] πρὸ ἑξ καλανδῶν Μαρτιῶν; Graeci autem eam bisextam vocant.

Anno 28°, aedificavit Herodes civitates, muros, turres plurimas; reaedificavit quoque urbem quam quasi in honorem Caesaris Caesaream nominavit, antea enim Turris Stratonis vocabatur.

Hoc tempore notus erat Sextus philosophus e secta Pythagorae.

Iudas quoque Galilaeus e Gamala civitate cum Sadōk pharisaeo hoc tempore insurrexerunt in rebellione; dicebant enim : «Non decet dare capitationem, nec nobis constituere dominos mortales.»

Anno 42° Augusti Caesaris, Herodis 35°, qui est Antiochenorum *annus* 45us, Graecorum 309us, indictione 1^{a}, qui est ipse annus secundus Olympiadis CXCIV^{ae}, natus est Dominus noster et Salvator noster Bethlehemi Iudaeae, octavo calendas ianuarii, id est 25^{a} *mensis* kanūn prioris.

Colliguntur autem anni ab Adamo usque ad hunc annum : 5505; initium huius anni fuit feria secunda. Erat verum in *computo* lunari

[1] Φερώρας (Ios., *Ant.*, XIV, VII). — [2] Φασάηλος (*Ibid.*). — [3] Deest folium unum. — [4] Vox delenda, ut videtur.

graeco 12us, romano autem 16us. Annus superior, quo conceptus est Christus die 25^{a} *mensis* adar, initium habuit die dominica, et fuit cum incepit in luna graeca primus, in romana quintus. Hoc anno fuit luna intercalaris.

Anno antequam nasceretur Christus missus erat Quirinus *praeses *p. 55. a senatu in descriptionem capitationis; consul enim erat et ex eis qui in senatu congregantur. Cum autem quisque in sua civitate describendus esset, adscendit etiam Ioseph, vir Mariae, ut describeretur. Tunc autem fuit nativitas Christi. Meminit autem huius temporis Longinus sapiens romanus, in suo tertio libro de bello Romanorum et eorum victoria in Antiochiam Syriae, dum dicit Caesari: «Persae Orientis transierunt in dicionem regni tui et obtulerunt munera parvulo puero qui ibi natus est; quis *sit,* cuius filius? nondum audivimus.» Et misit Augustus epistulam Longino: «Herodes satrapa, qui a me ibi relictus est, scribet et nota faciet mihi omnia.»

Rex autem Persarum qui misit Magos Perīšabur nomen habebat. Venerunt autem Magi anno 44° Augusti, cum esset Christus natus annos 2. Herodes itaque mox universos pueros Bethlehemi a bimatu et infra occidit. Erat autem Maria, cum peperit Salvatorem nostrum, nata annos 13, et mortua est nata annos 51, quinque annis post ascensionem Domini nostri. Anno igitur 307° aerae Graecorum, die 24^{a} mensis elūl, luna etiam 24^{a}, conceptus est Iohannes filius Zakariae et natus est 24^{a} ḥazīran, anno sequenti. Maria enim nuntium accepit *die* 25^{a} *mensis* adar, sex mensibus post conceptionem Iohannis.

Cum autem natus esset Dominus noster Bethlehemi post menses novem, circumcisus est ibi, natus dies 8. Natus autem dies quadraginta ascendit in Templum, et eum portavit Simeon senex in Templo. Et ivit Nazareth : elapso anno, rediit ad Templum in Hierosolymam et iterum rediit Nazareth; anno autem secundo, iterum venit Hierosolymam et a Magis visus est. Ipsa nocte qua a Magis visus est, *descendit in Aegyptum ubi egit 2 annos. Tum, nuntio *p. 56. accepto Herodem mortuum esse, ascendit ex Aegypto, cum esset natus 4 annos, et ivit in civitatem Nazareth : ibi autem crescebat.

Herodes igitur, cum vixisset annos 70, e quibus regnaverat 30, mortuus est anno 44° Augusti Caesaris, qui est annus 311us secundum Graecos, indictione 3^{a}. Mortuus est autem in doloribus acerbis; antea occidit uxorem suam filiosque suos in dementia sua;

et erat in visceribus eius ulcus et dolor acerbus, et tumor humidus in pedibus eius, pudenda eius putrefacta sunt et vermibus scaturiebant; et anhelitus contentione tabescebat, et iratus sumpsit pomum et cultrum et incidebat *pomum;* dum autem vult cultro cor suum percutere, eum prohibuerunt. Dixit vero Salomae suae sorori et marito istius : « Scio festum Iudaeis fore in mea morte; sed universi qui hic congregati sunt in carcerem detrudantur et occidantur : et ita Iudaei congregati agent luctum super me etiam inviti. » Et sic mortuus est in doloribus acerbis. — Haec itaque ei acciderunt, sicut dicebant sapientes qui eo tempore vixerunt, ob caedem iniquam parvulorum.

Habuit autem uxores novem; filii ei fuerunt, e Doride[1] : Antipater, is mortis duorum e suis fratribus causa fuit et ipse denique a patre occisus est; — e Maria, filia Hyrcani summi sacerdotis quem occiderat : Aristobulus et Alexander qui perierunt calumnia Antipatri eorum fratris, et Herodes cognomine Antipas qui Herodiadem uxorem duxit et Iohannem trucidavit; — e Malchusa samaritana : Archelaus qui regnavit post eum; — e Cleopatra hierosolymitana :
* p. 57. Herodes alter qui privatus vixit, et Philippus *cuius uxorem sumpsit frater eius et eum occidit; — e Pallade : Phaselaus.

Filii autem filiorum eius sunt : Aristobuli fratris Alexandri, Herodes qui rex fuit in Chalcide, Agrippas cognominatus Herodes, qui occidit Iacobum et scaturiens vermibus [periit][2] . . . .

. . . .

[Dominus noster anno primo praedicationis suae]. . . . . mutavit aquam in vinum, Canae Galilaeae, dedit decem beatitudines, docuit orationem discipulos, mundavit leprosos, sanavit socrum Simeonis; deinceps ivit Hierosolymam ad Pascha, prout dixit Iohannes in canone XXVI.

Anno autem secundo : transivit quidem in Galilaeam; edocuit Samaritanam et *huius* universam civitatem, mense šebaṭ; sanavit filium centurionis in Capharnahum, et expulit Legionem in regione Gadarenorum. Sanavit ibi paralyticum quem e tecto demiserunt, in Nazareth; resuscitavit filiam Iaïri; et haemorrhoissam sanavit, illum quoque mutum et surdum qui daemonium habebat, et illum cuius exsiccata manus *erat.* Eodem anno secundo, occisus est Iohannes in carcere. Et suscitavit Christus filium viduae, ingressus est domum

[1] Ms. : *Dosis.* Δόρις (Ios., *Ant.*, XIV, XII). — [2] Deletae sunt columnae duae.

Simeonis pharisaei; deinceps ascendit Hierosolymam in Pascha et sanavit paralyticum.

Anno autem tertio, e pane duodecim cophinos fecit: appropinquabat autem Pascha Iudaeorum; iterum multiplicavit septem panes; aperuit oculos caeci Timay et eius qui a ventre matris *caecus erat.*

Rursum, anno quarto, ascendit in montem et alba facta sunt eius vestimenta; sanavit filium tecti[1] et hydropicum; *et resuscitavit *p. 58.
Lazarum, et exsiccare fecit ficum tempore *mensis* adar; proposuit parabolam de divite et Lazaro, et de vinea et operariis, et de turri, et de homine qui fecit convivium, et de centum ovibus et decem drachmis[2]. . . . .

. . . .

. . . . Causa ob quam cecidit (Paulus samosatenus) fuit mulier quam constituerant Persae super Syriam et Phoeniciam cum vicissent Romanos, cui nomen Zenobia; huic autem dum vult *Paulus* placere, quia ad res iudaicas propensa erat, ad sectam Artemonis deductus est. Neque elongatus erat a scortatione Paulus iste : nam mulieres ei adhaerebant pulchrae et canebant in eius nomine. Cum igitur excommunicatus fuisset nec vellet abire, quod magistratus eum tuebantur, petierunt ab imperatore Aureliano ut tyrannum ab ecclesia arceret; cui, licet idola coleret, non tamen conveniens visum est eorum petitiones neglegere : sed statim praecepit ut expelleretur e civitate. Ei successit Domnus; filius erat Demetrii decessoris Pauli; stetit autem annos 5.

Rursum, anno 4° Aureliani, qui est secundum Graecos annus 583us, floruit Manī insanus in falsa doctrina; hoc tempore erat annorum 33; natus est enim anno 551°.

. . .[3] erat autem vir quidam e Lapaṭ civitate, cui nomen Paṭīq, et habebat filium e Ṭaqašīṭ, uxore sua; eum vocaverant parentes eius Corbicum; cum *puer* esset annorum 7, emit eum uxor cuiusdam
Arabi nomine *Scythiani; erat *mulier* e Thebaïde superiore : quam *p. 59.
ob causam tempus multum fuit in Aegypto. In doctrina Aegyptiorum cum educatus fuisset Scythianus haeresim Empedoclis et Pythagorae introduxit inter christianos. Habebat autem discipulum cui nomen Budus, antea vero vocabatur Terebinthus. Hic autem, mortuo Scythiano, abiit in regionem Babelis, cum uxore Scythiani. Ipse dice-

[1] Lunaticum (Matth., xvii, 14). — [2] Desunt folia nonnulla. — [3] Excidit vox una.

bat seipsum e virgine natum et in montibus educatum. Fecit hic libros quattuor : uni titulus *est* «Mysterium», alteri «Evangelium», tertio «Thesauri», quarto «Capita». Dum autem ostendebat speciem quamdam visionum percussus spiritu est et mortuus est. Mulier autem apud quam habitabat, postquam eum sepelivit sumpsit aurum quod sibi collegerat et emit puerum cui, ut diximus, nomen erat Corbicus; eum erudivit his quattuor libris doctrinalibus, et mortua est ipsa mulier, ei linquens hos libros Ṭerebinthi, quos *is* composuerat e doctrina accepta a Scythiano, et omnia bona. Omnes libros et aurum sumpsit Corbicus et abiit in regionem Persarum. Ivit autem in domum paternam, et ibi nomen sibi imposuit Manī, librosque quasi a seipso compositos eis quos eorum ope seduxerat tradebat specie christianismi. Illis autem videntibus eum in doctrina nazareorum versari tunc temporis eum ibidem presbyterum effecerunt, et, interpres Librorum factus, contendebat adversus
*p. 60. Iudaeos et paganos. Sibi addixit *tres discipulos : Addaeum quem misit ut doceret Bēt Aramayē, Thomam, qui profectus est in Indiam, et alium cui nomen fuit Hermias. Cum autem rediissent et ei renuntiavissent neminem eos suscepisse, iratus est et dereliquit doctrinam christianorum, quam haud sane ab initio tenebat; seipsum appellavit Christum et Spiritum sanctum; mox elegit sibi duodecim discipulos et insufflavit in eos spiritum ad imitationem veri Christi, et exierunt et decipiebant mundum. Dicebat autem ille Manī in sua doctrina duo entia esse : Deum et materiam; unum esse bonum, et tenet loca orientalia, septentrionalia, occidentalia et superiora; alterum, id est materiam, «malum» vocabat, tenens loca australia. «Ipsa materia dum agitatur insurrexerunt filii eius in invicem : daemones, ignis, aquae, idola; alii alios vexabant et ab aliis vexabantur, usque dum pervenerunt ad caelum, locum lucis; et cupiebant miscere eorum obscuritatem bono et luci; quos cum vidisset Deus eos vinxit ibi : et sumpsit paullulum lucis et proiecit in materiam ad instar hami, ipsa vera cum id absorbuisset eo vincta est; et propterea coactus est Deus creare mundum [1]. . . . .

. . . .

. . . .

. . . . . et huic [2] successit Zabda, annos 8; et huic Hermon, annos 9.

[1] Desunt folia aliquot. — [2] Id est: Hymenaeo, episcopo Hierosolymorum; (cf. Eus. ann. 2316; infra, p. 146, l. 27).

Et eo tempore, quattuor reges regnabant simul, Diocletianum dico, et Maximianum [1], qui cognominatus est Herculius, et acceperat filiam *Diocletiani, et Maxentium, filium hujus Maximiani, qui Romae regnabat, et Constantinum [2] qui in Gallia Britanniaque regnabat. Diocletianus autem et Maximianus in regione Orientis regnabant et communiter res dirigebant. *p. 61.

Et eo tempore rebellavit Aegyptus et Alexandria; profecti sunt Romani, eam subegerunt multosque ibi trucidarunt.

Anno 11° Diocletiani, regnavit in Perside Narses, annos 7.

Et anno 18° eius, regnavit, post Narsen, Hormizd, annos 5.

Ephesi stetit episcopus, post Theodorum, Zoilus; et post eum Linthus; et post eum Solon [3].

Erant autem doctores Alexandriae Pierius [4] et Achillas presbyteri.

Antiochiae erat Dorotheus presbyter; callebat etiam linguam hebraicam.

Laodiceae etiam post Eusebium, stetit doctor Anatolius : genere Alexandrinus erat. Is autem dicebat in sua doctrina initium mensium et temporum esse decimam octavam adar, seu secundum computum Aegyptiorum 24^{am} phamenōt, et circumvolvi redireque in *pristinum* locum post annos decem et novem.

Caesareae Palestinae stetit post Theotecnum Agapius. Ibi autem erat presbyter nomine Pamphilus : is est qui edocuit Eusebium, qui propter eum cognominatus est Pamphilus.

Anno 9° eiusdem imperatoris Diocletiani, iussit et eversae sunt ecclesiae usque ad terram, et fuit persecutio gravis. Incepit haec persecutio ab anno 11° eius *regni*, usque ad annum 19um. Hoc autem anno, qui est annus 613us secundum Graecos, *die* 29^{a} mensis adar, ipsa die *Paschae eversae sunt ecclesiae, die dominica. *p. 62.

Colliguntur anni a nativitate Domini nostri Iesu usque ad hunc annum : anni 305, cum ipso anno eversionis et nativitatis. Hoc autem tempore fuerunt martyres multi : sanctum dico Petrum episcopum Alexandriae, qui primus excommunicavit impium Arium ob eius blasphemiam. Manifestatum est ei divina revelatione eum reprobatum a Domino esse.

Stetit post eum Achillas, annum unum; et post hunc Alexander, annos 23. — Martyrium passus est hoc tempore etiam Pamphilus,

[1] Apud Syros, omissis vocalibus, nullum est discrimen in ratione scribendi nomina «Maximianus» et «Maximinus». — [2] Intellege «Constantium Chlorum». — [3] Cf. p. 146, l. 35. — [4] Cf. p. 147, n. 1.

presbyter Caesareae, magister Eusebii; et Seleucus episcopus Emesae bestiis devoratus est, postquam fuerat *episcopus* annos 40. Testimonium reddidit etiam Pantaleon monachus, qui hoc tempore degebat in Aegypto, cum DXLVI aliis qui eius causa martyrium passi sunt; et innumeri alii hanc persecutionem sustinuerunt.

Fuit etiam fames ingens adeo ut venumdaretur modius frumenti MMD minis. Post autem annum commutavit Deus mala. Imperator Diocletianus imperium suum dimisit, natus annos 72, et habitu pagani (*seu villici*) quasi insanus versabatur usque dum mortuus est. Etiam Maximiano, eius generi, ita accidit postquam antea constituit duos imperatores : Severum et Maximianum alterum[1]; qui etiam fuit violentus persecutor Christianorum, et eius tempore martyres plurimi fuerunt. Sed Severus cum regnavisset annum unum occisus est, et remansit Maximianus in regione Orientis, et Maxentius iniquus Romae in regione Occidentis. Unusquisque eorum malitia socium superabat.

*p. 63. Constantinus autem primus, qui regnabat *in Gallia, secum adsumpsit filium suum Constantinum in imperium, et postquam regnavit adhuc tres annos, mortuus est die 25ª mensis tamūz; vixerat annos 60; regnaverat autem annos 12. Potitus est igitur imperio Constantinus[2]. . . . .

. . . .

. . . . . Athanasium evertisse altare et destruxisse, calices effudisse, libros combussisse. Et quanquam in his omnibus manifestata est calumnia accusatorum, non tamen a sententia sua destiterunt. At anno 30° Constantini, qui est annus 645us Graecorum, calumnias alias paraverunt. Voluerunt quidem synodum facere Caesareae Palestinae : sed Athanasius recusavit ibidem venire; inde vero abierunt in urbem Tyrum; amputaverunt manum dextram mortui, eam combusserunt aromatibusque condiverunt et reposuerunt in theca lignea; proclamabant Athanasium Arsenio, episcopo Melitenae, mortem intulisse et hac eius manu quam amputaverat ordinationes perficere. Arsenius vero, cupiens videre quae circa seipsum agenda erant, Tyrum venit et depositioni Athanasii subscripsit. Denique a fautoribus Athanasii circumdatus est : produxit duas suas manus et eas viderunt, et detexit Athanasius accusatores. Sed mox mercede duxerunt pellicem quae conclamabat et dicebat

[1] Maximinus; cf. p. 49, n.1. — [2] Desunt nonnulla folia.

Athanasium violasse suam virginitatem. Tacuit quidem Athanasius, dum surgit Macarius presbyter qui eum comitabatur et dixit huic *mulieri* : «Ego ad te accedi unquam?» Respondit contorquens manus, clamans et dicens : «Tali die, tu *virginitatem meam corru- *p. 64. pisti!» Et ita manifestum fuit hanc *accusationem* calumniam esse sicut omnes alias. Nihilominus depositionem Athanasii pronuntiarunt, qui statim ad imperatorem[1]. . . . .
. . . et mox abierunt Tyro Hierosolymam iussu imperatoris ad dedicationem (ecclesiae) quam ibi aedificaverat. Receperunt Arium . . . . . et etiam miserunt Alexandriam; sed mox allatae sunt epistulae imperatoris ut venirent apud se Constantinopolim propter Athanasium[2]. . . . .

Iverunt itaque . . . . . et aliam accusationem moverunt in eum dicentes : minatus est Athanasius arcessere frumenta quae ab Aegypto Constantinopolim deducuntur. Imperator autem iussit ut in Galliam eiiceretur . . . . . et ivit et fuit in civitate Trevirorum, quae ibi est, duos annos . . . . .

Congregati sunt igitur Constantinopoli et deposuerunt Marcellum episcopum urbis Ancyrae, quod addictus erat doctrinae Pauli Samosateni . . . . comburere librum suum (recusabat) . . . . . .[3]

(Arius profectus est) Alexandria Constantinopolim (iussu Constantini), anno 30° eius imperii; et venit quidem portans symbola duo : unum secundum fidem rectam, alterum secundum id quod credebat sub ala eius repositum. Et, lecto symbolo recto quod tradidit imperatori, iuravit : «Sicut infra scriptum est, credo.» Cum autem *sancitum fuisset ut iret ad ecclesiam populus in duas partes *p. 65. scissus est. Sanctus autem Alexander qui hoc tempore *ecclesiam* regebat ivit ad ecclesiam quae vocatur Irene, coram altari se prostravit, tres dies et tres noctes, orans et dicens : «Domine Deus, si Arius ecclesiam ingressurus est, libera me ex hac vita.» Etiam Iacobus episcopus Nisibis similia orabat. Dum autem it Arius *ad ecclesiam* subito . . . . in latrinam . . . .[4]

. . . .

. . . .

. . . Aetius . . . . imperator autem iussit ut mitteretur in Phrygiam, in locum desertum. [Venit] Eustathius et dixit Eudoxium idem sentire, quippe qui domus et mensae Aetii particeps esset . . .

[1] Aliquot voces desunt. — [2] Tres aut quattuor voces desunt. — [3] Quattuor versus pene deleti sunt. — [4] Desunt nonnulla folia.

excommunicavit Eudoxium [1] . . . . . consubtantialem; dixit ei Silvanus : Si vero non est creatura nec alterius naturae, iam consubstantialis est Patri . . . . eiecit imperator et alios multos.

Eiecit enim Cyrillum Hierosolymae, postquam stetit annos 12, et constituerunt eius loco Hadrianum [2].

Depositus est etiam hoc tempore Liberius episcopus Romae et pro eo constituerunt Philippum [3], sed populus hoc non tulit et mox *p. 66. Philippum expulerunt *Liberiumque in suum locum restituerunt.

Et etiam Macedonium Constantinopolis, cum stetisset annos 5, hoc tempore removerunt eiusque loco constituerunt Eudoxium postquam egerat Antiochiae annos 3.

Stetit autem Antiochiae, post Eudoxium, Meletius qui Sebastia e loco *oriundus* episcopus Alepi factus erat; et Alepo adduxerunt eum et constituerunt Ariani Antiochae. Cum autem ascendisset *cathedram* ut homiliam haberet paullo post, ostendit eis tres digitos clamans : «Tres personas proclamamus et quasi unum praedicamus.» Tunc, cum viderent Ariani eum ipsis non consentire, deposuerunt eum; rexerat autem *ecclesiam* annos duo; et constituerunt pro eo Euzoium qui cum Ario eiectus erat ex Aegypto. Idcirco divisus est populus Antiochiae : unam partem dirigebat Flavianus [4] cum esset presbyter, et alteram Euzoius.

Etiam Hierosolymis, cum stetisset Hadrianus annos 9, ei successit Heraclas.

Macedonius qui Constantinopoli expulsus est dicebat : nullo modo esse consubstantialem Patri Spiritum; Filio quoque, Arii instar, detrahebat in sua blasphemia. Cum autem expulsus fuisset hic maledictus in regionem Hellesponti abiit, et eius locum occupavit Eudoxius qui rationem agendi furtivam (*hypocritam*) coram imperatore ostendebat. Mox e Cyzico Eleusium episcopum huius loci expulit et *ibi* constituit Eunomium notarium Aetii; erat autem e Cilicia. Eum quidem monuit ne prius cuiquam divulgaret eorum doctrinam quam firmiter occupavissent ecclesias. At sibi quidem blandientibus civibus *Eunomius* aperuit mentem suam pravam, qui abierunt Constantinopolim et de eo conquesti sunt. Imperator vero, re audita, mandavit Eudoxio ut ab eo rationem posceret; hic vero, quia erat eiusdem

[1] Tres versus fere deleti. — [2] Socr. : Ἀῤῥήνιος. — [3] Sic ms.; lege : «Felicem». — [4] Sic ms.; lege : «Paulinus». Nomina *Paulinus* et *Flavianus* haud raro apud scriptores syros permutantur.

opinionis, *negotium differebat[1] . . . . ab imperatore coactus *p. 67. . . . . Eunomio ut abiret. Eunomius vero invitus discessit, dicens quidem Eudoxio : «Peccasti in me et in Aetium magistrum meum.» Congregavit sectatores suos qui vocati sunt Eunomiani. Hac ratione recesserunt Eunomiani ab Arianis.

Dicebat Eunomius[2] Deum ante omnia creavisse Filium, Filium autem creavisse Spiritum ante omnia creata. Mutavit quoque consuetudinem qua tribus vicibus in invocatione Trinitatis baptizarentur *fideles*, sed qui baptizabantur in nomine mortis Christi tantum baptizari voluit. A capite ad renes *corpus* aqua tingebant, partes ceteras ut quid impurum relinquebant. Accidit autem quadam die, dum baptizant, ut esset vulnus in capite eius qui baptizabatur . . . . .[3]; cum viderent excogitaverunt facere alveos in quibus eum qui baptizandus erat extendebant et aquas in eius caput effundebant. Etiam alium modum *baptizandi* excogitaverunt : sindonem longam consecrarunt et eum qui baptizandus erat ea involvebant a pectore ad ungues, et sic aquam in eum effundebant. Ausus est etiam dicere Eunomius : Nihil rerum divinarum sibi celatum, sed se omnia nosse, etiam naturam divinam, et quod «ita novit Deum ut Deus novit eum». Expulsus est itaque et eiectus est in locum desertum Pamphyliae : et ibi praedicavit doctrinam suam.

*Rursum tempore Constantii, ipso iubente, aedificata est Tella *p. 68 in regione Orientis, quae Constantina appellata est.

[Tunc celebrare] festum Nativitatis et Epiphaniae die 25ª *mensis* kanūn prioris, secundum tempus a Romanis constitutum, mandatum est ecclesiis Orientis : sexto enim kanūn posterioris celebrabant ambas festivitates. . . . . .

Apparuerunt hoc tempore Apollinaristae. Oriundus erat Apollinaris Alexandria. Cum autem studuisset profanis doctrinis, inde abiit et magister factus est Beryti. Inde abiit Laodiceam in civitatem Syriae; ibi vero accepit uxorem et habuit filium qui eodem nomine Apollinaris nominatus est. Ibi factus est presbyter et eius filius lector, diebus Theodoti episcopi huius loci. Docebant disciplinas graecas : pater docebat disciplinam Grammaticorum, eius filius Rhetorum. Familiaritatem habebant cum Epiphanio sophista pagano. Quod videns Theodotus episcopus prohibuit eos ab eius commercio, ne forte rursum ad paganismum declinarent. Ii vero

[1] Duo versus pene deleti sunt. — [2] Spatium unius vocis in ms. — [3] Vox mutila.

aperte voluntatem episcopi exsequuti sunt. Denique, cum mortuus esset Theodotus eique successisset Georgius, rursum cum Epiphanio conversati sunt, vel quando sacrificia paganorum perficiebat. Cum conatus esset *episcopus* eos ab eo avertere nec potuisset, a communione Ecclesiae eos removit. Apollinaris iunior id ignominiam reputavit et ratione Sophisticae fretus perversam haeresim protulit. Statim adiit quosdam ex episcopis qui excommunicati fuerant, qui eum creaverunt episcopum civitatis non nominatae. Et ipse cum
*p. 69. patre insanam haeresim suscitavit : affirmat enim naturam *Trinitatis sicut nostram unius esse; gradus tamen proponit dicens de Patre quod est magnus, de Filio quod est nimius, de Spiritu quod est multus. Verbum incarnatum esse dicit, et animam assumpsisse : non tamen rationalem sed vegetativam aut animalem; mentem vero non assumpsisse, sed Deum mentis vicem gessisse. Alio autem loco, universae Trinitati imputat oeconomiam, Sabellii instar; corpus Domini nostri caeleste esse dicit, et e substantia mixta et composita esse Filium. Dicunt etiam eum opinionem iudaicam tenuisse circa cibum, potum et matrimonium post resurrectionem. Composuit mille psalmos, dicens quidem davidicis *psalmis* eos pulchriores esse. Anathemate itaque percussus est cum omnibus haeresibus in canone primo quem constituerunt CL *Patres* Constantinopoli.

Imperator autem Constantius, cum esset Antiochiae, audivit Iulianum Caesarem in Gallia cum multis Barbaris decertavisse eosque superavisse, et a Romanis huius loci imperatorem vocatum fuisse. Timuit pro corona imperii[1] . . . .

. . . .

. . . .

. . . . Moʿawia[2], Ḥudaifa filius sororis eius; iubente autem Moʿawia, necatus est.

Rursum etiam ʿAlī minabatur se iterum profecturum adversus
*p. 70. Moʿawiam. Eum percusserunt dum orat, in *urbe* Ḥīrtā,* et occiderunt eum. Et descendit Moʿawia in *civitatem* Ḥīrtā. Dederunt ei manum universae copiae Arabum quae ibi *erant*, et reversus est Damascum.

Anno 970°, Constantis 17°, mense ḥazīran, die Veneris, hora 2ª, fuit motus *terrae* vehemens in regione Palestinae : multi loci eo corruerunt.

[1] Desunt nonnulla folia. — [2] Ea quae sequuntur edidit et commentatus est Nöldeke; vide praefationem.

Eodem mense, venerunt episcopi Iacobitarum, Theodorus et Sebōkt, Damascum, et disputationem coram Moʿawia habuerunt cum viris gregis Mar Maronis, circa fidem. Cum autem victi essent Iacobitae, iussit Moʿawia ut darent xx milia denariorum, mandavitque ut in quiete starent; et orta est consuetudo ut episcopi Iacobitarum, singulis annis, id aurum *regi* Moʿawiae persolverent, ne removeret ab eis manus et a filiis Ecclesiae persecutionem paterentur. Qui appellabatur a Iacobitis patriarcha omnibus monasteriis monachorum et monacharum imposuit quantitatem huius auri quam singulis annis persolverent : similiter et omnibus fidelibus suis imposuit, et seipsum fecit praebitorem [1] *regis* Moʿawiae, ut prae huius timore sibi submitterentur omnes Iacobitae. Et eo mense quo facta est disputatio Iacobitarum, die nona, dominica, hora octava, mota est terra.

Eodem anno, iubente imperatore Constante, occisus est Theodosius eius frater inique et sine ratione, ut multi dixerunt. Plurimi dolorem conceperunt de eius caede. Dicunt cives fecisse clamores [2] in imperatorem eumque Cainum alterum, fratris occisorem, vocavisse. Ipse quidem multum iratus reliquit filium suum Constantinum super* solium suum, sumpsit imperatricem et universum *p. 71. exercitum Romanorum pugnae capacium, et profectus est ad Septentrionem adversus populos extraeneos.

Anno 971°, Constantis 18°, congregati sunt Arabes multi Hierosolymis, et regem creaverunt Moʿawiam : is adscendit in *montem* Golgotha, ibi sedit et oravit, et ivit ad *hortum* Gethsemani, et descendit ad sepulcrum beatae Mariae, et in eo oravit.

Hisce diebus, dum ibi congregati sunt Arabes cum Moʿawia, fuit commotio et motus *terrae* vehemens : quo cecidit Hiericho, magna ex parte, et cunctae eius ecclesiae. Et ecclesia Mar Iohannis, *in honorem* baptismi Salvatoris nostri *aedificata* ad Iordanem, eversa est a fundamentis, cum universo monasterio; monasterium quoque Patris Euthymi cum domiciliis multis monachorum et anachoretarum, locique plurimi corruerunt in hoc *motu*.

Eodem anno, mense tamūz, congregati sunt amirae et Arabes multi et dextram dederunt Moʿawiae : exiit edictum ut in omnibus pagis et civitatibus eius imperii rex renuntiaretur eique praeconia et acclamationes [3] facerent. Cudit etiam aurum et argentum, quod

[1] Ad litteram : «heredem faciens». — [2] φωνάς. — [3] κλήσεις et φωνάς.

acceptum non fuit quia in eo crux non erat. Rursum, Moʿawia non coronam cinxit sicut alii reges qui fuerunt in mundo. Solium suum posuit Damasci, noluitque ad sedem Moḥammeṭi ire.

Gelavit etiam anno sequenti, 13^{a} *mensis* nīsan, illucescente feria quarta, et aruit hoc gelu vinea alba.

Moʿawia, cum regnaret, secundum placitum suum, et quiesceret a bellis civilibus, rupit pacem cum Romanis, nec amplius accepit
*p. 72. ab eis pacem; dicebat autem : « Si cupiunt *Romani pacem, dent arma sua et tributum solvant...............................[1]

....

....anni adscendit iterum Yezīd, filius Moʿawiae, cum exercitu valido. Dum autem castrametantur in Thracia, dispersi sunt Arabes in praedam, et eorum mercenarii puerique ut pascerent iumenta et raperent quidquid in manus incideret; quos cum vidissent qui stabant super murum egressi sunt et inciderunt in eos multosque puerorum et mercenariorum, etiam Arabum, occiderunt, praedam rapuerunt et regressi sunt. Sequenti die, congregati sunt universi pueri civitatis et ex eis qui *urbem* ingressi erant ut ibi protegerentur, et Romanorum aliqui, et dixerunt : « Exeamus contra eos. » Et ait illis Constantinus : « Nolite exire; non enim pugna percussistis et vicistis, sed furando furati estis. » Illi autem non audierunt eum, sed exierunt, populus multus, armis instructi, vexillis erectis flammulisque, secundum morem Romanorum. Et simul atque exierunt occluserunt omnes portas et imperator sibi fixit tentorium super murum sedensque inspiciebat. Sarraceni autem se retro subduxerunt et multum a muro elongati sunt, ne cum fugerent illi *Romani* subito salvarentur; et exierunt sederuntque secundum tribus *dispositi*, et cum approquavissent illi, exsilierunt steteruntque et clamaverunt lingua sua: « Deus magnus est! » Statimque illi verterunt terga in fugam, et adversus eos cucurrerunt Sarraceni in eosque inciderunt et trucidabant eos vel captivos abducebant, usque dum sub ictum
*p. 73. balistarum muri *pervenerunt*. Et Constantinus iratus est eis, *et aegre permisit eis aperiri *portas*; ceciderant ex eis multi et alii sagittis transfixi sunt.

Et anno 975°, Constantis 22°, Moʿawiae 7°, ascendit Bar Khaled[2] dux exercitus Arabum Emesae, urbis capitis Phoeniciae, et duxit exer-

[1] Deest folium unum. — [2] Ὁ Ἀβδεραχμᾶν ὁ τοῦ Χαλέδου (Theoph.).

citum in terram Romanorum. Ivit et castrametatus est ad lacum qui vocatur Ásqdrīn, vidensque populum multum habitare ibi *in insula* voluit eam occupare; fecit rates et naviculas easque exercitum conscendere iussit et misit intus; qui intus erant, hoc videntes fugerunt et se absconderunt ab eis. Cum pervenissent Arabes in portum descenderunt et alligarunt naviculas operamque dederunt ut aggrederentur populum. Tum surrexerunt qui latuerant, cucurreruntque et absciderunt funes navicularum quas in altum duxerunt. Arabes autem relicti sunt intra portum in terra circumdati mari profundo et coeno. Qui intus erant contra eos congregati sunt et circumdederunt eos undique, fundis et lapidibus et sagittis *instructi* ceciderunt in eos omnesque occiderunt. Socii autem eorum *Arabum* ex adverso stabant et adspiciebant nec poterant eis opitulari. Et iterum non bellum intulerunt Arabes in lacum illum usque in praesentem diem.

Et inde abiit Bar Khaled recedensque condiciones fecit cum urbe Amorio. Cum vero ei *portas* aperuissent ibi constituit custodiam Arabum. Et inde abiit recessitque ad Sīlūs castellum magnum; ubi illusit ei architectus quidam e provincia Paphlagoniae, qui dixit ei : «Si vero condiciones feceris mihi et domui meae, ego faciam tibi machinam quae id castellum expugnabit.» Ipse autem annuit. Et iussit Bar Khaled afferri tabulas longas; et fecit machinam cuius similis nunquam visa est, et ascenderunt fixeruntque *eam* contra portam *castelli. Custodes cum confiderent *p. 74.
in castelli firmitate siverunt eos ad castellum accedere. Dum suspensi sunt milites Khaledi in sua machina, lapis proiectus percussit ianuam castelli; et rursum proiecerunt lapidem alterum qui minor fuit, rursumque proiecerunt lapidem tertium et ceteris inferior fuit. Qui supra *muros stabant* deridentes clamaverunt dicentes : «Intendite, viri Khaledi; male enim suspensi estis», et statim miserunt ipsi ab alto in machinam lapidem ingentem; devolvit et percussit machinam Bar Khaledi et confregit eam; corruit *machina* et cadens multos homines occidit. Et inde abiit Bar Khaled et expugnavit castellum Pessinuntem, et castellum Kīōs, et castellum Dpīrīmōs[1] et etiam Smyrnam civitatem[2].......

[1] Forte genitivo casu : «ad arcem Pīrīmōs»; corruptio e «Prymnesus» vel (secundum Nöldeke) e «Pergamus». — [2] Reliqua desiderantur.

II

HISTORIA SUBIECTIONIS SYRIAE AB ARABIBUS EFFECTAE

EDIDIT E.-W. BROOKS

INTERPRETATUS EST I.-B. CHABOT.

Initio codicis Evangeliorum Matthaei et Marci (Brit. Mus., Add. 14,461 f. 1 r°) exstant notae breves lectu difficillimae quae ad historiam subiectionis Syriae spectant, a viro coaevo parum docto conscriptae. Hae notae in catalogo clarissimi Wright primum vulgatae sunt, postea plenius et accuratius a Nöldeke : quinque primos versus a Nöldeke paene omissos hic cum ceteris edidi; in aliis vero ab eius lectione vix discessi.

Notitia bibliographica :

Editiones : W. Wright, *Catalogue of the Syriac MSS. in the British Museum*, p. 65, 66; London, 1870. Textus.

Th. Nöldeke, *Zur Geschichte der Araber im 1 Jh. d. Hig. aus syrischen Quellen* (*Zeitschr. der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft* Bd. XXIX, p. 76 sqq.); Leipzig, 1875. Textus cum interpretatione germanica, addito commentario.

E.-W. B.

NARRATIO

DE EXPUGNATIONE SYRIAE AB ARABIBUS

*p. 75. *1. ....
2. .... Mōḥammed et ....
3. .... presbyter Mar Elias.......................
4. .... et venerunt
5. ....ex Bat.........................
6. ..... vehemens..... mense.......................
7. .... et fugerunt Romani ....
8. ..... et *mense* kanūn posteriore accepit fidem de sua vita
9. populus Emesae, et pagi plurimi vastati sunt caede ab
10. ..... Moḥammed, et populus ingens occisus est et captivitas
11. abducta est inde a Galilaea usque ad Bēt Zak.....
12. .... et ipsi Arabes castrametati sunt in regione [Damasci]
13. .... et videntes ubique ....
14. et olivam qu(ae ?) adduxerant .... eos. Et *die* vigesima
15. sexta īyār abiit s[acellarius](1)...... iumentum(2)......
16. ....e regione Emesae, et persecuti sunt eos Romani....
17. .... *die* decima *mensis*
18. ʾāb fugerunt Romani e regione Damasci....
19. populus multus quasi decem milia, et revertente
20. anno venerunt Romani; die 20ª ʾāb anni nongentesimi
21. quadragesimi septimi, congregati sunt in Gabita.......
22. .... Romani, et populus multus occisus est e
23. Romanis, circiter quinquaginta millia ....
24. .... anno nongentesimo quadragesimo et.....
25. ....

[1] Coniectavit Nöldeke. — [2] Forte : «in vindicta» (?)

III

CHRONICON MISCELLANEUM

AD ANNUM DOMINI 724 PERTINENS

EDIDIT E.-W. BROOKS

INTERPRETATUS EST I.-B. CHABOT.

Chronicon hoc, ob catalogum Calipharum ei additum, nomine «Liber Calipharum» parum apte a Land donatum est. In codice Mus. Brit. Add. 14,643 (saec. VIII) asservatur, et praeter folia decem (novem ante et unum post folium 1) quae exciderunt, ut a numeris syriacis in codice appositis patet, integrum exstat.

Quale nunc est, compositum esse videtur ab auctore catalogi Calipharum, qui regnante Hišam (724-743) vixit; is autem multorum praecedentium auctorum opera tantum compilavit.

Res gestae quas narrat in quattuor series divisae sunt; prima, quae ceteris multo plenior est, ad ann. 641, secunda ad ann. 570 pertinet; harum auctores historias incursionis Hunnorum (p. 136, 137) et terrae motuum (p. 139-143) e coaevis documentis exscripserunt. Tertia series (Thomae presbytero a Land adscripta) ad ann. 636, quarta denique ad ann. 529 deducitur. Sequitur brevis historia synodorum ad Chalcedonensem usque, et ultimo loco occurrit catalogus Calipharum. Fragmentum geographicum, ab eodem fonte quo Chronicon Paschale (p. 57 et seq.) et Chronicon Barbari a Scaligero vulgatum haustum, toti operi praefixum est. Genealogia patriarcharum ex Aphraatis homilia quae «Botrus» inscribitur transcripta est; quae sequuntur usque ad Constantini imperium, paucis exceptis, ab Eusebio derivata sunt.

Compilatoris textus valde corruptus est; sed, cum liber autographus esse videatur, non nisi ubi propter incuriam aliter videtur scripsisse quam in animo habebat, emendationes feci.

Quae Eusebio posteriora hic leguntur a Land olim vulgata sunt, adiecta interpretatione latina; Eusebiana vero et historia patriarcharum a Rödiger latine tantum edita sunt, excerptis quibusdam in eiusdem viri Chrestomathia syriace datis.

Textus integer nunc primum editur.

Notitia bibliographica :

a. Editiones : J. P. N. Land, *Anecdota Syriaca*, t, I, p. 2-24 (partis syriacae), p. 40, 41, 103-122 (partis latinae); Leiden, 1872. Textus cum interpretatione latina.

E. Rödiger, *Chrestomathia Syriaca*, ed. 2ª, p. 105 sqq.; Halle, 1868 (ed. 3ª p. 95 sqq.). Excerpta.

b. Versio anglica : B. H. Cowper, *Notes and Queries*, ser. II, 1, p. 208, London, 1856. Catalogus Calipharum tantum.

c. Versio latina : E. Rödiger, apud A. Schöne, *Eusebii Chronicorum libri duo*, t. I, App. p. 53 sqq.; t. II, p. 203 sqq.; Berlin, 1875-76. Historia patriarcharum et Eusebiana.

E.-W. B.

. . . .

| Gentes autem quas dispersit Dominus Deus super faciem universae terrae[1] . . . .

. . . .

. . . .]. *Syri; Cilices qui et Tarsen- *p. 77.
ses; Cappadoces; Armeni; Iberi qui et Bibrani[2]; Scythae; Colchi; Sanni[3]; Bosporani; Asiani; Isauri; Lycaones; Pisidae[4]; Galatae; Paphlagones; Phryges; Iones[5] qui et Achaei; Thessali, Macedones; Thraces[6]; Mysi; Bessi; Dardani[7]; Sarmatae; Germani; Pannoni qui et Paeones[8]; Norici[9]; Dalmatae; Romani qui et Cittei[10]; Ligures; Galli qui et Celtae; Aquitani; Britanni; Hispani qui et Tyrrheni; Mauri[11]; Macui[12]; Sūlqī'[13]; Afri; Mazices[14]; Taramanti qui sunt Boradi[15], qui se extendunt usque ad Aethiopes[16].

Sunt etiam insulae magnae duodecim, in quibus sunt civitates, quae vocantur Sporades in quibus habitaverunt Iones; et sunt hae[17]: Euboea; Creta; Sicilia; Cyprus; Cos; Rhodus; Chius; Thasus; Lemnus, Samus, Lesbus, Samothrace.

Euboea quae vocata est a Boeotis, ut ab Ionibus Ionia[18]. — Civitates sexdecim[19] hae *sunt :* Clazomenae; Bīlṭūnī'[20]; Mitylene; Phocaea; Priene; Erythrae; Samus; Teos[21]; Colophon; Chius; Ephesus; Smyrna; Perinthus; Byzantium; Chalcedon; Pontus; Amisus; Eleuthera[22].

[1] Initium desideratur. Haec verba addidimus ex anonymo Barbaro Scaligeri (apud SCHOENE, *Eus. Chr.,* I, App., p. 186-190.); ut enim monuit Brooks, fragmentum nostrum syriace exhibet graecum textum quem Barbarus latinum fecit; qui etiam textus plerumque convenit cum *Chron. Pasch.,* e quo graeca vocabula recitamus. — [2] Barb. : «33. Iberi; 34. Bibrani»; *βέβρανοι.* — [3] Sic recte Barb., ms. : *Sīnī',* (*Σάννιοι*). — [4] Barb. : «41. Lycaonii; 42. Pissidii». Voces syriacae omnino corruptae. — [5] Barb. : «Greci qui et Achei». — [6] Lege ܬܪ̈ܩܝܐ. — [7] Legerit syrus : *Λάρδανοι* pro *Δαρδ''*. — [8] *Παίονες.* — [9] Lege ܢܘܪ̈ܩܝܐ. — [10] «qui et Cittei», ita Barb.; *Chr. Pasch.* : *οἱ καὶ* Κίτιοι; ms. : *qīṭnn'.* — [11] Ms. : *mdī'.* Lege ܡܘܪ̈ܝܐ. — [12] *Μακουάκοι.* — [13] Vox corrupta; hic habet Barb. «Getuli». — [14] Lege : ܡܙܝ̈ܩܝܐ. — [15] Locus mancus et corruptus; Barb. : «68. Mazici; 69. Tarantii exteriores; 70. Boradii; 71. Celtionii; 72. Taramantii exteriores qui usque in Ethiopia extendunt». — [16] Lege : ܠܟܘܫ̈ܝܐ. — [17] Barbarus, *op. cit.,* p. 189. — [18] *Op. cit.,* p. 188. — [19] Item Barb.; qui pariter 17 nomina exhibet. — [20] Vox in *Chr.* et a Barb. omissa et delenda, ut videtur; prava scriptio nominis sequentis. Land coni. : Miletus. — [21] Ms. : *sṭs's;* restitue : ܛܐܘܣ (Τέως). — [22] Lege : *Ἄμισος ἐλεύθερα.*

Hoc etiam mihi curae fuit ut ostendam tibi climata populorum ignotorum, et montes celebres et locos notos qui in eis[1]. — Inci- *p. 78. piemus ab Oriente[2] : Adiabeni[3], ultra *Arabes Ṭayayē; ultra Ṭayayē Albani, ultra portas Claspianorum Madianitae, quibuscum pugnavit Moses inter flumina[4] et Mare rubrum; Madai[5] minor quae est ultra Mare rubrum, ad latus Aegypti, ubi regnavit Raguel socer Mosis. Et ultra Cappadoces in parte dextra, Armeni, et Iberi, et Berrani; qui vocantur Signos[6], qui se extendunt usque ad mare; ubi est Apsaros, et Sostplos, et Aūsūʿībīn[7], et Phasis fluvius; et se extendunt populi isti usque ad Trapezuntem.

Hi sunt montes celebres, qui sunt ibi duodecim : Libanus[8]; Caucasus; Taurus; Atlas; Parnasus[9]; Cithaeron[10]; Helicon; Parthenius; Nyssus[11]; Lycabettus; Spinius[12]; [O]lympus.

Et hi fluvii magni qui sunt ibi : Indus qui et Phison; Nilus qui et Giḥon; Tigris qui et Euphrates[13]; Iordanan; Cephisus; Tanais[14]. . . . .

. . . . [15]

Deus creavit et genuit Adamum. Cum esset Adamus natus 130 annos, genuit Sethum; et vixit Adamus postquam genuit Sethum 800 annos. Summa annorum eius : 930 anni. Usque ad annum 31um vitae Lamechi qui genuit Noaḥum vixit Adamus, et mortuus est in generatione nona.

[1] Cf. Barb., *op. cit.*, p. 190; *Chr. Pasch.*, p. 34. — [2] Exinde textus mancus et corruptus est. Ne multiplicentur adnotationes damus Barbari versionem e qua quisque facile emendabit syriacum textum quem ad fidem codicis, servata prava interpunctione, vertimus : «Initiemus autem dicere de illas ignotas gentes ab oriente usque ad occiduum solis quomodo habitant. Illi Adiabinii habitant ultra Arabia interiore Taina ii autem ultra illos. Alamosyni autem ultra Arabes in inferiore Arabia. Saccini autem ultra Taones. Albani autem ultra Caspianorum portas. Madinii fortiores qui expugnati sunt a Moyse in rubro maris. Illa autem modica Madian est ultra de illa rubra mare ubi regnavit Raguel et Iothor socer Moysi. Et ultra Cappadocia in dextera Armenii et Birri et Birrani, in leva autem Scythi et Colchi et Bosporani. Sanni autem qui dicuntur Sanniggii qui et usque Pontum extendunt ubi est congregatio Apsari et Sebastopolis et Causolimin et Fasis fluvius, usque ad Trapezuntum extendunt istas gentes». — [3] Ms. : *Aribanii*; corrige ܐܠܒ̈ܢܝܐ e nota super. — [4] Stupida interpretatio graeci : *οἱ μέζονες, οἱ πολεμηθέντες* . . . . . — [5] *Μαδιάμ.* — [6] *Σάλλοι, οἱ καὶ Σανῖται.* — [7] *Ἄψαρος, καὶ Σεβαστόπολις, καὶ Ἴσσου λιμήν.* — [8] Ita recte Barb.; ms. : *Lbinos*; lege : ܠܝܒܢܘܣ. — [9] Lege : ܦܪܢܣܘܣ (*Παρνασὸς*). — [10] Lege : ܩܝܬܪܘܢ. — [11] Lege : ܢܘܣܘܣ, *Νύσσος*. — [12] Intellege : Alpes penninae (*Πίννιον*). — [13] Rectius Barb. et *Chr.* «Tigris et Eufrates». — [14] *Τάναϊς*; lege : ܛܢܝܣ. — [15] Deest folium unum. Quae sequuntur usque ad pag. 65, l. 22, ex homilia Aphraatis «Botrus» inscripta supplevit Brooks.

Et vixit Sethus 105 annos et genuit Enošum; et vixit Sethus, postquam genuit Enošum, 807 annos. Summa annorum eius : 912 anni. Usque ad annum 180um vitae Lamechi vixit, *duobus *p. 79. annis ante nativitatem Noaḥi, et mortuus est in generatione octava.

Et vixit Enošus 90 annos et genuit Qainanum; et vixit Enošus, postquam genuit Qainanum, 815 annos. Summa annorum eius : 905 anni. Et vixit Enošus usque ad annum 79um vitae Noaḥi, ad annum 521um ante diluvium; et mortuus est in generatione octava.

Et vixit Qainanus 70 annos et genuit Mahlalaelem; et vixit Qainanus, postquam genuit Mahlalaelem, 840 annos. Summa annorum eius : 910 anni. Et vixit Qainanus usque ad annum 179um vitae Noaḥi, ad annum 421um ante diluvium; et mortuus est in generatione septima.

Et vixit Mahlalael 65 annos et genuit Iaredum; et vixit Mahlalael, postquam genuit Iaredum, 830 annos. Summa annorum eius : 895 anni. Et vixit Mahlalael usque ad annum 214um vitae Noaḥi, ad annum 386um ante diluvium; et mortuus est in generatione sexta.

Et vixit Iaredus 162 annos et genuit Henochum; et vixit Iaredus, postquam genuit Henochum, 800 annos. Summa annorum eius : 962 anni. Et vixit Iaredus usque ad annum 222um ante diluvium; et mortuus est in generatione quinta.

Et vixit Henochus 65 annos et genuit Mathušelaḥum; et placuit Henochus Deo, postquam genuit Mathušelaḥum, per 300 annos. Summa annorum eius : 365 anni. Et anno 300° *vitae* Mathušelaḥi, eius filii, anno 113° vitae Lamechi, 69 *annis ante nativitatem *p. 80. Noaḥi, 669 annis ante diluvium, transtulit eum Deus in locum vitae, in generatione tertia.

Et vixit Mathušelaḥus 187 annos et genuit Lamechum; et vixit Mathušelaḥus, postquam genuit Lamechum, 782 annos. Summa annorum eius : 969 anni. Et vixit Mathušelaḥus usque ad annum 600um vitae Noaḥi, et post eius mortem ingressus est Noaḥus arcam fuitque diluvium eo tempore quo mortuus est vir iustus; vidit Adamum per 150 annos, et Semum per 97 annos; et mortuus est in generatione tertia, et consumptus est mundus ira.

Et vixit Lamechus 182 annos et genuit Noaḥum. Et vixit Lamechus, postquam genuit Noaḥum, 595 annos. Summa annorum eius : 777 anni. Vixit Lamechus usque ad annum 596um vitae

Noaḥi, filii sui, 4 annis ante diluvium. Et vixit Mathušalaḥus, pater eius, post eum 4 annos, et tum fuit diluvium. Et vidit Lamechus Adamum per 68 annos, et mortuus est post[1], 4 annis ante diluvium, in generatione secunda.

Et natus est Noaḥus anno 86° post mortem Adami, primogeniti primi, qui genuit Sethum. Natus est anno 9° ante mortem Sethi, qui genuit Enošum. — Anno 79° vitae Noaḥi mortuus est Enošus, qui genuit Qainanum. — Anno 179° vitae Noaḥi mortuus est Qainanus, qui genuit Mahlalaelem. — Anno 214° vitae Noaḥi mortuus *p. 81. est Mahlalael qui genuit Iaredum. — Anno *378° vitae Noaḥi mortuus est Iaredus, qui genuit Henochum. — Anno 67° antequam nasceretur Noaḥus translatus est Henochus, et non comperta est mors eius, 669 annis ante diluvium. — Anno 600° vitae Noaḥi mortuus est Mathušelaḥus, et posthac fuit diluvium. — Anno 595° vitae Noaḥi mortuus est Lamechus, pater Noaḥi, 4 annis ante patrem suum Mathušelaḥum. Et erat Noaḥus natus 600 annos, cum ingressus est arcam, eo anno quo mortuus est Mathušelaḥus. Et fuit Noaḥus in arca, ipse cum familia sua, a 17ª *die* mensis secundi usque ad 27ᵃᵐ *diem* secundi mensis anni sequentis, per 12 menses et 10 dies. Tum exiit Noaḥus cum filiis suis ex arca. Et vixit Noaḥus post diluvium 350 annos, et mortuus est anno 59° vitae Abrahami. Natus est *Noaḥus* anno 79° vitae Enoši, et mortuus est anno 58° vitae Abrahami. Et vidit 18 generationes, *ex illis* quae ante eum et quae post eum *fuerunt*.

Šemus, natus 100 annos, genuit Arphakšarum, 2 annis post diluvium. Et vixit Šemus, postquam genuit Arphakšarum, 500 annos. Summa annorum eius : 600 anni. Et mortuus est anno 112° vitae Isaaci et anno 72° vitae Iacobi. Natus est Šemus 98 annis ante diluvium; natus est *enim* intra annos *viventis* Mathušelaḥi, et mortuus est intra annos Iacobi. Vidit 16 generationes, *ex illis* quae ante eum et quae post eum *fuerunt*.

Et Arphakšarus vixit 35 annos et genuit Šalaḥum. Et vixit Arphakšarus, postquam genuerat Šalaḥum, 430 annos. Summa *p. 82. annorum eius : 465 *anni. Et mortuus est anno 147° vitae Abrahami et anno 47° vitae Isaaci, in generatione decima.

Et Šalaḥus vixit 30 annos et genuit ʿEberum. Et vixit Šalaḥus, postquam genuit ʿEberum, 403[2] annos. Summa annorum eius :

[1] Quaedam verba forte exciderunt. — [2] Ms. : 463.

433 anni. Et mortuus est anno 62° vitae Iacobi et anno 122° vitae Isaaci, in generatione decima.

Et ʿEber vixit 34 annos et genuit Phalagum. Et vixit ʿEber, postquam genuit Phalagum, 430 annos. Summa autem annorum eius : 464 anni. Et mortuus est anno 120° vitae Iacobi, 5 annis post mortem Isaaci, in generatione decima.

Et Phalagus vixit 30 annos et genuit ʾArʿu. Et vixit Phalagus, postquam genuit ʾArʿu, 209 annos. Summa annorum eius : 239 anni. Et mortuus est anno 48° vitae Abrahami, in generatione sexta.

Et ʾArʿu vixit 32 annos et genuit Sarugum. Et vixit ʾArʿu, postquam genuit Sarugum, 207 annos. Summa annorum eius : 239 anni. Et mortuus est anno 78° vitae Abrahami, 3 annis postquam is emigraverat ex Ḥarran, in generatione quinta.

Et Sarugus vixit 30 annos et genuit Naḥorum. Et vixit Sarugus, postquam genuit Naḥorum, 200 annos. Summa annorum eius : 230 anni. Et mortuus est anno 101° vitae Abrahami, anno uno postquam natus est Isaacus, in generatione quinta.

*Et Naḥorus vixit 29 annos et genuit Tharaḥum. Et vixit *p 83. Naḥorus, postquam genuit Tharaḥum, 119 annos. Summa annorum eius : 148 anni. Et mortuus est anno 49° vitae Abrahami, anno 939° vitae Noaḥi, anno 339° post diluvium. Et vixit Noaḥus, postquam mortuus est Naḥorus, 11 annos. Et mortuus est in generatione tertia.

Et vixit Tharaḥus 70 annos et genuit Abrahamum. Et vixit Tharaḥus, postquam genuit Abrahamum, 135 annos. Summa annorum eius : 205 anni. Et mortuus est anno 135° vitae Abrahami, anno 35° vitae Isaaci, 5 annis antequam Isaacus uxorem duceret Rafecam filiam Bethuelis; in generatione tertia mortuus est.

Et vixit Abrahamus 100 annos et genuit Isaacum. Et vixit Abrahamus, postquam genuit Isaacum, 75 annos. Summa annorum eius : 175 anni. Et mortuus est anno 15° vitae Iacobi; in generatione tertia mortuus est.

Et vixit Isaacus 60 annos et genuit Iacobum. Et vixit Isaacus, postquam genuit Iacobum, 120 annos. Summa annorum eius : 180 anni. Et mortuus est anno 120° vitae Iacobi, 23 annis postquam redierat Iacobus ex Ḥarran, 11 annis postquam venditus est Iosephus in Aegyptum, 10 annis antequam descenderet Iacobus in Aegyptum; in generatione quarta mortuus est.

Et fuit Iacobus 77 annos natus cum benedixit ei Isaacus, pater eius; et natus 84 annos *uxores* duxit Līam et Raḥīlem, filias Labani. Et nati sunt ei a Līa : Rūbīl et Šemʿōn et Levī et Iehuda et Isakar et Zebūlūn, et a Raḥīle : Ioseph et Beniamīn; et a Bilha, *p. 84. *serva Raḥīlis : Gad et Ašīr, et a serva Līae, nempe Zilpa : Dan et Naphtalī. Hi (sunt) filii Iacobi duodecim. — Et mortuus est Iacobus natus 147 annos, 17 annis postquam descendit in Aegyptum; in generatione quarta mortuus est.

COMMEMORATIO VARIARUM RERUM.

Nomina regum gentium qui ab Abrahamo usque ad annum 20um Constantini et res eorum diebus gestas in Canonibus posui; et quomodo subiecti sint sub manum Romanorum in libro indicavi.

Reges Assyriorum : 1. Belus : annos 62. — 2. Ninus : annos 52. — 3. Semīram uxor Nini : annos 42.

Et ab anno 40° regni Nini in Asia usque ad annum 20um Sardanapali, colliguntur anni 1196.

Anni Patrum Iudaeorum, et quot annos rexerit unusquisque eorum suo tempore : Anno 43° regni Nini natus est Abrahamus.

Abrahamus : annos 100. — Isaacus : annos 60. — Iacobus : annos 171. — Iosephus in Aegypto : annos 80. — Hebraei servierunt in Aegypto annos 144.

Summus principatus populi : Moses in deserto : annos 40. — Iosue : annos 27.

Iudices : ʿOthoniel : annos 40. — ʾAhōr : annos 80. — Debōra et Baraq : annos 40. — Gideʿōn : annos 40. — Abīmelek : annos 3. — Thōlaʿ : annos 23. — Iāīr : annos 22. — Naphtaḥ : annos 6. — Ḥešbōn : annos 7. — Labrōn : annos 10. Tunc Ilion expugnatum est. — Šimšōn : annos 20. — ʿElī sacerdos : annos 40. Samuel : annos 30. — Saul : annos 40, donec exstitit Iudaeis rex David.

*p. 85. *Reges Babylonis : Phuʿ[1]. — ʾAdršk[2], assyrius. — Tiglatpilasar, assyrius. — Salmanʿasar, assyrius. — Sanḥērīb, assyrius. — Merōdak Baledan, chaldaeus. — Nebukadnaṣar, chaldaeus. — Evil-

[1] Sic ms.; lege «Phul». — [2] Sic ms.; lege «Ardšk».

merōdak, chaldaeus. — Beltšaṣar, chaldaeus. — Darius, medus. — Darius filius Šūrōs. — Anno autem primo Olymp. L(V^{ae})[1] incepit imperium Persarum.

REGES ISRAELITARUM ET IUDAEORUM :

Saul. — David. — Salomon.

IUDAEORUM :

Rehabeʿam : annos 17.
Abia : annos 3.
Asa : annos 41.
Iehošaphat : annos 25.
Iehoram : annos 8.
Aḥazia : annum 1.
ʿAtalia : annos 6.
Ioāš : annos 40.
Amaṣia : annos 29.
ʿOzia : annos 12.
Iotam : annos 16.
Aḥaz : annos 16.
Manasse : annos 15.
Amon : annos 12.
Iošia : annos 31.
Iehoaḥaz : menses 3.
Ioiaqim : annos 11.
Iekonia : menses 3.
Ṣedeqia : annos 11.

*Iudaea in captivitatem deducta est et templum combustum a Nebukadnaṣar rege, anno 2° Olymp. XLVII. Colliguntur universi anni regum Israelitarum : anni 485.

ISRAELITARUM ex adverso illorum :

Ierobeʿam filius Nabaṭ : annos 22.
Nadab : annos 2.
Baʿša, filius Aḥazia : annos 24.
ʿEla : annos 22.
Zimri : dies 7.
ʿOmri : annos 13.
Aḥab : annos 22.
Aḥazia : annos 2.
Ioram : annos 12.
Iehu : annos 28.
Iehoaḥaz : annos 11.
Ioāš : annos 14.
Ḥezeqia : annos 29.
Ierobeʿam : annos 41.
Zakaria : menses 6.

Et rebellavit adversus eum Ṣallum, et interfecit eum, et regnavit post eum mensem unum plenum.

Menaḥem : annos 7.
Peqaḥia : annos 2. *p. 86.
Peqaḥ : annos 20.
Hošeʿa : annos 19.

Salmanaṣar assyrius in captivitatem abduxit Israelem. 438. Olymp. incepit imperium[2].

DYNASTIA XXVII^{a}; PERSAE imperaverunt in Aegyptum.

IMPERIUM BABYLONIORUM ET IMPERIUM MEDORUM cessavit initio imperii Persarum. Primus eorum est

Cyrus : annos 30.
Cambyses : annos 8.

Primus Cambyses : annos 6.

[1] Ms. : L; lege LV cum Eusеb. — [2] Locus omnino corruptus.

Et *eius successores* post eum usque ad Darium : *per* annos 114.

Persae : annos 114.

Magi : menses 7.
Darius : annos 36.
Xerxes : annos 20.
Ṭṭîknus[1] : menses[2] 7.
Artaḥšîšat Longimanus : ann. 41.

Xerxes : menses 2. — Sorginos[3] : menses 7. — 'Arisoltos[4] : annos 19. — Artaḥšîšat[5] : annos 40. — Artaḥšîšat Ukama[6] : annos 26. — Perses[7] filius Ochi : annos 4. — Darius filius Aršak[8] : annos 6. — Alexander Macedon : annos 5. — Summa autem omnium annorum : 225 *anni* et 11 menses. Inceperunt autem anno 45° et desierunt anno[9] 113°.

*p. 87. *REGES PTOLEMAEAE[10] ET ALEXANDRIAE ET AEGYPTI.

Olymp. CXIV^a^ Alexander Macedonius mortuus est Babylone. Et divisum est imperium eorum.

ALEXANDRINORUM ET AEGYPTIORUM[11] : Rex primus Ptolemaeus atque etiam filius leporis.

Ptolemaeus filius Lagi : annos 40.
Ptolemaeus Euergetes : annos 17.
Ptolemaeus Philadelphus : annos 38.
Ptolemaeus Philopator : annos 24.
Ptolemaeus Euergetes : annos 35.
Ptolemaeus Physcon : annos 29.
Ptolemaeus Soter : annos 17 et menses 6.
Ptolemaeus qui et Alexander : annos 17.
Ptolemaeus Philadelphus[12] : ann. 8.
Ptolemaeus Dionysius : annos 30.
Cleopatra : annos 22.

Summa annorum : 296 et menses 6. Inceperunt autem ab annis CXIV^ae^ Olymp., et desierunt CLXXXVII^ae^.

[1] Lege «Artabanus». — [2] Ms. : «7 annos». Ex Eus. hieron. correxi; hanc emendationem etiam summa annorum innuit. — [3] Lege «Sogdianos». — [4] Lege «Darius Nothos». — [5] Mnemon. — [6] *Ukama* id est «niger»; lege «Ochos». — [7] Lege «Arses». — [8] Lege «Aršam». — [9] Sic ms.; lege «Olympiade XLV... Ol. CXIII». — [10] Sic ms. Intelligendum videtur «Ptolemaicae stirpis». — [11] Hanc seriem turbatam esse iam monuit Rödiger. — [12] Auletes (R.).

REGES SYRIAE ET BABYLONIS ET ASIAE.

Anno 13° regni Alexandri Macedonii[1] et Ptolemaei filii leporis, regnavit Seleucus in Asiam et in Babylonem et in Syriam. Ipse primus

Seleucus Nicator : annos 32.
Antiochus Soter : annos 19.
Antiochos Deus : annos 15.
Seleucus Callinicus : annos 21.
Seleucus Ceraunus : annos 3.
Antiochus Magnus : annos 36.
Seleucus Philometor : annos 12.
Antiochus Epiphanus : annos 11.
Antiochus Eupator : annum 1 et menses 6.
Demetrius Soter : annos 2.
Alexander : annos 2 et menses 8.
Demetrius et Drmtr[2] : annos 3.
Antiochus Sidetes : annos 9.
Demetrius : annos 4.
Antiochus Agrippa[3] : annos 12.
Antiochus Cyzic(us) : annos 18
Philippus[4] : annos 2.

Summa annorum : 219 et menses 10. Inceperunt autem a CXVII^{a} Olymp., et desierunt CLXXI^{a}.

*COMMEMORATIO PROPHETARUM; *p. 88.
QUORUM REGUM DIEBUS VATICINATI SINT PROPHETAE.

Anno 40° Šimšonis, fuit Reᶜuth.

Anno 4° Davidis, vaticinati sunt Gad, Nathan et Asaph.

Anno 32° regni Salomonis, vaticinatus est Aḥia propheta Šilonensis.

Anno 3° Reḥabeᶜami et anno 3° regni Ierobeᶜami, vaticinatus est Šemaᶜia in Iuda.

Anno 13° eiusdem Reḥabeᶜami et Ierobeᶜami, vaticinabatur *propheta* qui habitabat *in urbe* Bethel et qui versus altare *clamabat.*

Rursum, anno 17° eorumdem, vaticinatus est Iozedeq.

Anno 2° Baᶜšae, regis Israel, et anno 6° Asae, regis Iudae, vaticinatus est Ioel, qui et ᶜAzaria filius ᶜIddo.

Anno 23° Asae et anno 19° Baᶜšae, vaticinatus est Iehu.

Anno 28° Asae et anno 24° Baᶜšae, vaticinatus est Ḥanani.

Anno 3° Aḥabi et anno 4° Iehošaphati, vaticinati sunt Elia et ᶜObadia et ᶜOzia et Iehu et Mika.

Anno 21° Aḥabi et anno 22° Iehošaphati, vaticinati sunt Elia et Elišaᶜ.

[1] Sic ms.; intellege «anno 13 post divisionem regni Alexandri». — [2] Lege : «filius Demetrii». — [3] Gripus. — [4] Ms. : «Philipds».

Anno 13° Ioaši, regis Iudae, et anno 3° Iorami, vaticinati sunt Elišaᶜ et Zakaria filius Ioiadaᶜ.

Anno 17° Amaṣiae, regis Iudae, et anno 16° Ioaši, vaticinabantur Hoseᶜa et ᶜAmos et Ionan[1] et Naḥum.

*p. 89. *Anno 12° ᶜOziae, regis Iudae, et anno 24° Ierobeᶜami regis, vaticinatus est ᶜEšaᶜia.

Anno 4° Iotami, regis Iudae, et anno 7° Peqaḥi, vaticinati sunt Hošeᶜa et Ionan et ᶜEšaᶜia et Ioel et Mika.

Et anno 13° Iošiae, Eremia cepit prophetiam *enuntiare.*

Porro anno 17° eiusdem *regis,* vaticinata est Huldē.

Anno 2° Ṣedeqiae, regis Iudae, Babylone Daniel et Ḥanania et ᶜAzaria et Mišael noti erant.

Anno 5° Ṣedeqiae, Ḥezeqiel cepit prophetiam *enuntiare.*

Et anno 3° Ioiaqimi, vaticinatus est Uria filius Šemaᶜiae, cum Eremia et Baruq filio Neriae.

Anno 12° Captivitatis, Babylone vaticinati sunt Daniel et Ḥezeqiel. Item, Cambysen dicunt Hebraei vocatum fuisse Nebukadnaṣar II, cuius diebus fuit Iehudith.

Anno 64° Captivitatis, vaticinati sunt Ḥaggai et Zakaria et Malākī.

Anno 16° Darii, filii Vištaspi, cuius diebus adscendit Captivitas, perfecta est aedificatio templi in *urbe* Ierusalem, prophetantibus Ḥaggai et Zakaria.

Diebus Neḥemiae, Audas mulier vaticinabatur.

Huc usque prophetae. Abhinc et deinceps usque ad Messiam : res gestae Machabaeorum. Et deinde Apostoli et Patres sancti cum eis.

HI SUNT PRINCIPES IUDAEORUM :

Ante familiam Iudae Machabaei fuerunt eis principes, post ascensum *e captivitate,* qui sunt hi :

Primus Iešuᶜ, filius Iozedeq, sacerdos, cum Zorobabele. —
*p. 90. Ioiaqim, filius Iešuᶜ. — Elišaᶜ, filius Ioiakim. — Iodaa, filius *Nešib. — Ioḥannan, filius Iodaa. — Anros, filius Ioḥannan. Eius diebus condidit Alexander Alexandriam et venit Ierusalem et adoravit Dominum. — Ionias, filius Iaddu, et Eleᶜazar. Huius autem diebus translati sunt Libri a LXX sapientibus Hebraeorum. — Ḥonia, filius Šimᶜon, frater Eleᶜazari. Šimᶜon is *est* cuius diebus extitit

[1] Ionas.

Iešu^c, filius Šim^{c}onis, qui vocatur filius Sirae. — Honia autem cuius diebus Antiochus Iudaeos persecutus est. — Ele^{c}azar, filius Mathathiae.

Mathathias ipse et filii eius : — Iudas Machabaeus : annos 3. — Ionathan : annos 20. — Simeon : annos 8. — Iohannes, filius Hyrcani : *annos* 36. — Aristobulus, post annos 470 *a captivitate*, imposuit *sibi* coronam regiam una cum summo sacerdotio : annum 1. — Antigonus[1] Iannai, qui et Alexander : annos 20. — Salina : *annos* 9, uxor huius, quae et Alexandra, post eius mortem tradidit imperium et sacerdotium Hyrcano et Aristobulo filiis suis : annos 34. Et fuit contentio inter eos, et venit in auxilium Hyrcani Antipater idumaeus : et vicit Aristobulum. Cum mortuus esset Aristobulus, surrexit filius eius, Alexander, qui pugnavit cum Hyrcano et Antipatro donec surrexit Herodes, filius Antipatri, annis 37, post mortem patris sui; et vicit Alexandrum et regnavit eius loco.

Herodes genuit quattuor filios : Archelaum et Antipatrum qui vocatus est Herodes[2], et Herodem alium, et Philippum.

*Et post mortem Herodis regnavit Archelaus filius eius, annos 9. *p. 91.
Et posthac divisum est regnum in tetrarchias, diebus Tiberii Caesaris.

Herodes tetrarcha : annos 24. — Agrippas : *annos* 7. — Agrippas iunior : annos 26.

Verum ante Gaium Iulium et Augustum et ante ortum Domini nostri, Pompeius romanus expugnavit Hierosolyma, et fecit Iudaeos tributarios, et summum sacerdotium tradidit Hyrcano et Antipatro philistaeo.

Et anno 8° Augusti, obtinuit regnum Herodes sub dicione Romanorum, et Hyrcanum summum sacerdotem is interfecit. Atque in eius diebus summi pontifices non extiterunt unus post alterum[3], sed illum cui ius non competebat summum sacerdotem constituebat. — Et eius diebus natus est Dominus noster, Bethlehemi.

Iam[4] vero collegi omnia tempora, et posui eorum numerum, unum ex adverso alterius, et *hoc modo* hic Canon conscriptus est. Et repperi inter Hebraeos diversas *sibi contrarias* temporum descriptiones, et non selegi mihi illam quae excederet et reliqui illam

[1] Sic ms. — [2] Hic in ms. anteponuntur versus 21 et 22 huius paginae. — [3] Sensus videtur esse : «iure successionis». — [4] Quae sequuntur ex Eusebii praefatione desumpta sunt.

quae deficeret. Atque ita agens repperi, tempore Inachi, qui primus Argis imperavit, extitisse Iacobum, principem Hebraeorum, a quo *ortae sunt* duodecim tribus Israelis, et tempore Semiramis extitisse Abrahamum ex gente Chaldaeorum, qui dilectus fuit Deo et meruit ut sit propheta; et, ut verum dicam, apparere Mosem his quidem iuniorem, antiquiorem *tamen* esse illis omnibus qui antiqui putantur apud Graecos, Homero, dico, et Hesiodo et tempore Ilii, et multo antiquiorem Heracle et Musaeo et Lino et Chirone[1] et Orpheo[2], et Dioscuris, et Asclepio, et Dionyso et omnibus filiis, deorum, et Hermete, et Apolline ceterisque diis Graecorum, et ar- *p. 92. canis *eorum et cultibus eorum, et antiquiorem etiam gestis a Iove rebus quas Graeci narrant. Nam omnem harum rerum historiam Graeci dicunt *tempore* posteriorem esse Cecrope : Moses autem, ut invenimus in hac temporum disquisitione, extitit tempore illius Cecropis *διφυέος*, qui primus regnavit in Attica, 350 annis ante actionem Iliacam.

Apparet autem sermonem meum verum esse hac ratione. Iam sibi respondent tempora Augusti, Romanorum imperatoris, et adventus Domini nostri et initii praedicationis eius, quae facta est anno 15° regni Tiberii. Si quis itaque velit colligere tempora abhinc usque ad annum 2um regni Darii, cuius diebus templum Hierosolymitanum, post Babyloniorum destructionem, instauratum est, inveniet a Tiberio usque ad Darii annum 2um absolvi annos [5]48[3]. Quoniam vero in anno 2° Darii complentur anni 70 post destructionem templi Hierosolymitani, ut est in historia Hebraeorum, et deinde, si quis retro perquirat tempus, reperiet annos ab anno 2° Darii usque ad Olympiadem primam colligi 256 annos, qui sunt Olympiades 64.

Porro etiam in computo Hebraeorum si perquisiveris *tempus* ab ultimo anno vastationis templi usque ad annum 50um ʿOziae regis, cuius diebus vaticinabantur Isaias et Hoseus ceterique prophetae, reperietur idem numerus annorum : ut Olympias prima sit tempore Isaiae eiusque sociorum[4]. Ab anno enim 45° Cecropis usque ad vastationem Ilii sunt anni 330, et ab anno 80° Mosis et exodo Israelis usque ad Labronem et Šimšonem, qui extiterunt diebus vasta- *p. 93. tionis Ilii, *consummatur idem numerus. Itaque, sine dubio, Moses

[1] Χειρῶν; ms. : «Chriun». — [2] Ὀρφεύς; ms. : «Orqos». — [3] Ms. : 48. — [4] Sane hic quaedam desiderantur a compilatore omissa; cf. Eus. praef., (Schöne, p. 6, l. 10-33). Sed nulla est lacuna in ms.

exstitit in diebus Cecropis qui primus regnavit Athenis, et apparuit oliva in Acropoli diebus eius; et inditum est urbi hoc nomen Athenarum.

De isto autem Cecrope dicunt : Is ipse invenit nomen Διός, isque fecit simulacrum Ἀθήνης, isque primus constituit aras quae adhuc non inveniebantur inter Graecos; et vero etiam ceteras res miras quae reperiuntur inter eos, patet post huius tempus *demum* exstitisse; atque quanto posteriores sunt huius *Cecropis* aetate, tanto etiam Mosis. Etenim, post Cecropem fuit diluvium quod *accidit* diebus Deucalionis, et incendium quod diebus Phaethontis, et nativitas Erichthonii, et aedificatio Dardaniae a Dardano illo quem Homerus[1] «primum» vocat, et raptus Κόρης, Iovis filiae, et mysteria τῆς Δήμητρος, et descriptio[2] arae quae fuit Eleusine, et Triptolemi cultura, et raptus Europae a Iove *factus*, et rex Tros ex quo fuit Ganymedes qui raptus est a Diis : quorum tempore fuit Tantalus et Tityus, et ortus Apollinis ex concubitu Iovis cum Λήτω (*Latona*), et Ca[d]mi adventus cum Thebanis[3], et ortus Dionysi. Et hic reperitur Dionysus Cecrope posterior esse 200 annis Rursum autem iis posteriores esse scripserunt : Linum et Zetum, et A[m]phionem et Musaeum et Orpheum, nec non Minoa et Perseum et Asclepium et Dioscuros et Heraclem. Locavere se Almeto[4] Apollo et Heracles post eventus vastationis Ilii[5] qua multo posterior *est* Homerus. Et post hunc *demum* extiterunt Thales et Solon et reliqui *e* septem Sapientum *numero*.

Hic septem sapientes graecorum. Et dein post hos nominatus est primus philosophorum Pythagoras, et post *eum Socrates, a quo *p. 94.
initium cepere doctrinae philosophorum. Horum autem uniuscuiusque tempora singulatim ipse hic Canon indicat.

Constat autem Mosem hisce omnibus antiquiorem esse quod diebus Cecropis exstitit.

Ab exodo Israelis, et anno 80° Mosis, usque ad annum primum vitae Abrahami colliguntur anni [50]5. — Ab anno 45° Cecropis usque ad Ninum et Semiramin, qui primi regnaverunt in Assyria, colligitur idem numerus annorum. Dicunt enim hunc Ninum, Beli filium, tenuisse totam Asiam praeter Indos. Itaque apparet Abrahamum horum temporibus extitisse secundum historiam Hebraeo-

[1] Il. Υ, 215. — [2] Forte corrigendum ܡܬܩܢܘܬܐ «constitutio». (Ἐλευσινίων ἵδρυσις. Sch., p. 7, l. 17.) — [3] Sic intellexisse videtur compilator. — [4] Legerit ΑΛμητῳ pro ΑΔμητῳ (R.). — [5] Sic perperam intellexit compilator.

rum. Ab Abrahamo usque ad diluvium magnum colliguntur anni 1081, secundum historiam Hebraeorum; a diluvio autem usque ad Adamum hominem primum 2242. Colliguntur itaque omnes anni a Nino et Semiramide usque ad annum 15um regni Tiberii, 2046[1], congruenter numero annorum qui *sunt* ab Abrahamo ad Tiberium.

Et[2] ab anno 15° Tiberii usque ad annum 24um Constantini victoris sunt anni 300, ita ut colligat universus numerus huius Canonis anno 2346. Summa autem omnium annorum canonum : nempe ab Abrahamo usque ad annum 20um Constantini sunt anni 2344, et ab Adamo usque ad diluvium, anni 2242. Omnes autem anni sunt 5526. In hebraea autem *computatione* Iubilaeorum, quia est *Iubilaeum* anno *quoque* quinquagesimo, *sunt* Iubilaea 86, quibus colliguntur anni 4300. In summa autem omnes anni ab Adamo *p. 95. ad ascensionem Domini nostri *sunt 5522, secundum dictam computationem : nempe quod ab Adamo usque ad imperium Alexandri *sunt* anni 5180, et natus est Dominus noster anno 310° Alexandri et in caelum adscendit anno 342° eiusdem Alexandri.

HAEC SUNT REGNA POTENTIA QUAE FUERUNT IN UNIVERSA TERRA :

Rex primus qui accepit coronam a Deo Sīkun nomen habuit. ἡμίθεος, et princeps Gigantium qui tenuerunt imperium : ipse Sīkun annos 17 et reges eius successores Gigantesque qui tenuerunt imperium undecim; et rexerunt imperium 140 annos.

Post Gigantes acceperunt imperium Babylonii; et eorum princeps Angīr Baladan cum regibus sex qui post eum *regnaverunt;* et tenuerunt imperium 177 annos.

Post Babylonios acceperunt imperium ʿArabayē; et eorum princeps Sīkun cum regibus quindecim qui post eum *regnaverunt;* et rexerunt imperium 528 annos.

Et post ʿArabayē acceperunt imperium filii Persidis; et princeps eorum Hudrškr cum regibus tredecim qui post eum *regnaverunt;* et rexerunt imperium 409 annos.

Et post Persas acceperunt imperium Babylonii, secunda vice; et princeps eorum Ṭīrus cum regibus viginti quattuor qui post eum *regnaverunt;* et rexerunt imperium 731 annos.

Et post Babylonios secunda vice, acceperunt *imperium* filii Atōr

[1] Lege : 2044 (R.). — [2] Quae sequuntur Eusebiana non sunt; corruptus est textus, nec secum semper congruunt numeri.

et Ninivitae; et princeps eorum Asṭṭīr cum regibus xviii qui post eum *regnaverunt;* et rexerunt imperium 462 annos.

Et post Assyrios et Ninivitas acceperunt imperium Babylonii, tertia vice; et caput eorum... cum regibus... qui post eum *regnaverunt;* et rexerunt imperium... annos.

*Et post Babylonios tertia vice, acceperunt imperium Medi et Persae; et princeps eorum Ašrtkūn cum regibus xiii qui post eum *regnaverunt;* et tenuerunt imperium 330 annos. *p. 96.

Et post Medos et Persas secunda vice, acceperunt imperium Macedones; et princeps eorum Alexander cum decem regibus qui post eum *regnaverunt;* et tenuerunt imperium 143 annos.

Et post Graecos acceperunt imperium Romani; princeps eorum Augustus, cum regibus triginta duobus qui post eum *regnaverunt*, usque ad annum 19um Diocletiani; et tenuerunt imperium 335 annos et menses 4.

Summa autem annorum ab anno 8° Neronis, et etiam martyrio Pauli et Petri, usque ad annum 32um Constantini imperatoris victoris : colliguntur anni 272. — Ab Adamo usque ad annum 8um Neronis, colliguntur anni 5566. Universi autem anni sunt 5840, usque ad annum quo Persae adscenderunt in Nisibin : et hoc anno obdormivit Mar Iacobus, vir magnus et iustus, episcopus Nisibis, cum iam obsessa esset triginta diebus. Anno autem superiore decesserat e mundo Constantinus imperator victor et in hereditatem tradidit filiis suis imperium. Regnavit autem Constantinus annos 33.

Supputatio annorum ab Adamo usque ad nativitatem vivificatoris nostri Christi : 5490, et a Domino nostro usque ad dies Constantini : anni 341 [1].

..... annus [2]. Et haec *est* eversio ultima Hierosolymorum per *Titum filium Espasiani. Et destruxerunt Romani universos opti- *p. 97.
mates civitatis, et civitatem destruxerunt et igne incenderunt et muros eius everterunt. Capta est Ierusalem anno 2° Espasiani, *die* 8^{a} *mensis* ēlūl. Ante enim hanc *expugnationem* quinque vicibus capta est, bina vice destructa est. ʾIskās [3] enim rex Aegyptiorum primus vastavit eam; et post eum Antiochus, et post hunc Pompeius, et post hunc Herodes et Sossius eam ceperunt et servarunt.

[1] Quaedam excidisse videntur. — [2] Quae sequuntur reponenda erant, ut Brooks suspicatur, post commemorationem Vespasiani, p. 92. — [3] Σουσαχίμ; prava lectio e Iosepho, *Bell. Iud.*, VI, x : Ἀσωχαῖος.

Antea autem Nebukadnaṣar rex Babylonis, eam expugnavit et destruxit, post eam conditam annis 1408 et mensibus sex. Condidit autem eam primus Chananaeus qui appellabatur lingua patrum eius «Rex iustitiae». Erat enim ita, et propterea placuit Deo; et nomen urbis auxit et Auri-Šalem [1] appellavit quae antea Šalem appellabatur. Populum autem Chananaeorum ab ea expulit rex Iudaeorum David, populumque suum in ea habitare fecit. Et post annos 477 et menses sex Babylonius *rex* eam devastavit. A Davide rege primo Iudaeorum qui in ea regnavit, usque ad eius eversionem a Tito *factam*, sunt anni 1179; ab initio primae aedificationis usque ad eius eversionem a Tito *factam* sunt anni 2177. At neque antiquitas eius, neque opulentia eius prior, neque celebritas eius in universo orbe, neque gloria eius magna ei profuit contra ruinam quae eam attigit [2].

Anno autem 309° secundum aeram Alexandri Macedonii, fuit ortus Salvatoris nostri in mundo; et per 33 annos fuit in mundo, secundum testimonium quod invenimus in libro veraci
*p. 98. archivii Edessae, *qui nullo modo errat sed omnia exhibet fideliter.

Acceperat Simeon Cephas a Domino nostro sacerdotium, cum omnibus apostolis suis sociis, die dominica ascensionis Domini nostri ad Patrem suum altissimum et gloriosum : et est dies quarta *mensis* ḥazīran, anni 18^{i} imperii Tiberii Caesaris, consulatu tertio Rufi, et est hic annus annus 339us *Alexandri.*

INITIUM TEMPORUM CANONUM AB ABRAHAMO, ET NINO REGE ASSYRIORUM, USQUE AD ANNUM 20um CONSTANTINI IMPERATORIS VICTORIS.

Regnum Nini regis Assyriorum, qui regnavit annos 52. Anno 42° Nini [3] aedificavit Ninum urbem in terra Assyriae; et Hebraei vocant eam Ninive.

Šemīram, uxor Nini, regnavit in Assyrios, annos 42. De ea narrationes multae dicuntur; tenuit autem *illa* Asiam, et constituit tumulos propter inundationem. Et instauravit quoque Babylonem.

Abraham cum esset natus 75 annos, revelatione Dei dignus habitus est et promissione quae ei facta est.

[1] Hic est lusus in syriacis verbis quem latinis reddere non valemus. — [2] Verba sunt Iosephi, *loc. cit.* — [3] Textus corruptus; lege : «Anno 43 natus est Abraham. Et Ninus aedificavit», etc. (Röd.)

Anno 10° promissionis, Ismael natus est ex eius concubina Hagar; ex qua [1] fuit genus Ismaelitarum qui et Hagareni nominantur, qui etiam Ṭayayē vocantur.

Anno 100° vitae Abrahami natus est Isaacus. Et vixit Abrahamus postea annos 75.

Et Isaacus natus 60 annos genuit Iacobum et Esavum.

Abrahamo primo prophetarum Verbum Dei apparuit in forma hominis, *et vocationem gentium praedixit, quae nostro tem- *p. 99.
pore [2] sermone Christi finem adepta est per praedicationem eius doctrinae ad omnes gentes. Tunc Abrahamus adduxit Isaacum suum *filium* ad aram in montem Amoraeorum. [Isaacus natus annos 10 adscendit in aram.] [3]

Annus 100° promissionis, in quo mortuus est Abraham. Omnis autem vita eius *fuit* 175 annorum.

Cassus et Belus, filii Inachi, aedificaverunt civitatem in arce Antiochiae, ad Orontem fluvium [4].

Anno 160 promissionis [5]. — Iacobus descendit in Mesopotamiam, et serviit apud Labanum per annos 14.

Annus 170 promissionis. — Iacobus genuit Rubenem, Simeonem, Levium, et Iudam a quo Iudaei nominati sunt.

Annus 150 Isaaci. — In anno 92° Iacobi; hoc anno natus est Iosephus.

Annus 190 promissionis. — Iosephus natus 17 annos venditus est a fratribus suis.

Annus 170 Isaaci, Iacobi 110.

Annus 200 promissionis; annus 110 Iacobi.

Annus primus saturitatis Aegypti erat annus 31 *aetatis* Iosephi.

Annus 210 promissionis. — Anno secundo famis intravit Iacobus in Aegyptum cum filiis suis, et stetit coram Pharaone, et cum interrogaretur professus est se 130 annos natum esse.

Annus 230 promissionis. — Iacobus autem vixit omnes aetatis suae annos 147. Vaticinatus autem est de Christo *et de *p. 100.
vocatione gentium quae in eum crediturae erant et vitam acquisiturae.

Annus 280 promissionis. — Annus 110 Iosephi in quo ablatus

[1] Sic ms. — [2] Corrige in ms. : ܕܒܙܒܢ (Eus. ann. 101). — [3] Uncis inclusa in margine scripta sunt. — [4] Cf. Sync., 237, 12 (Röd.). — [5] Adnotatio annorum Promissionis vix intelligitur extra canonem, nec semper synchronismi recti sunt; sed fideliter codicem vertimus.

est e mundo; cuius post mortem Hebraei servierunt Aegyptiis annos 144. Omnes autem anni commorationis Hebraeorum in Aegypto sunt 215; et numerantur a descensu Iacobi eiusque filiorum.

Annus promissionis 380. — Xanthus condidit Tripolim[1].

Moses annos 35 natus erat, cum in Attica imperaret Cecrops, a quo usque ad destructionem Ilii sunt anni 375.

Annus 390 promissionis. — Moses annos 40 natus dereliquit habitationem in Aegypto et in deserto sedem fixit. — Eupolemus scripsit Mosen virum fuisse sapientem, et docuisse Iudaeos litteras et leges; a Iudaeis autem Phoenices acceperunt, et Graeci a Phoenicibus.

Annus 420 promissionis. — Moses revelatione Dei dignus habitus est, et accepit tabulas *Legis* in monte Sinai.

Corinthus aedificata est : quae olim Ἐφύρα appellabatur.

Moses annos 80 natus eduxit populum Hebraeorum ex Aegypto; et fuit cum eis in deserto per 40 annos, cum leges eis constitueret.

Summus sacerdos primus qui exstitit inter Hebraeos Aharon fuit, frater Mosis.

Templum quod in Delo *est* constructum est ab Erysichthone, filio Cecropis.

*p. 101. *Epaphus, filius Ius et Iovis, Memphim condidit, cum regnaret in Aegyptum secundam.

Lacedaemon condita est a Lacedaemone, filio Semelae.

Dardanus condidit Dardaniam.

Summum sacerdotium Hebraeorum accepit Eleazar.

Tunc Moses mortuus est. Hucusque quinque libri Mosis, in quibus descripta sunt gesta annorum 3730, secundum interpretationem LXX.

Iosue filius Nūn populo Iudaeorum terram Palestinorum sortibus distribuit.

Dionysus adversus Indos ivit ad bellum, et condidit Nysam urbem ad latus Hindos fluminis.

Condita est Tyrus ante aedificationem templi Hierosolymitani annis 240; ut scribit Iosephus in tertio *capite libri octavi* Historiae suae.

[1] Eus. Hieron. ad ann. 451 : «Xanthus Triopa Lesbum condidit».

Carchedona dicit Philistus conditam esse ab Azōr[1] et Qarkedōs Tyriis, hoc tempore.

Šimšonem dicunt heroicis *gestis* famosum fuisse, ita ut comparentur eius facta factis Heraclis.

Post mortem ʿElī sacerdotis, arca in Philistaeam deducta est; et postea fuit in domo ʿAminadabi per annos 20.

Saul. David. Salomon.

Post mortem Salomonis, fecit quidem seditionem populus Iudaeorum; et divisum est eorum regnum; et Ierobeʿamus princeps factus est in *urbe* Samaria in decem tribus Israel.

Ioram acri morbo laboravit, ita ut eius intestina et viscera exirent *e corpore.*

Et Elias sublatus est in coelum.

*Ioiadaʿ summus sacerdos apud Hebraeos innotuit, et solus post *p. 102.
Mosen vixit annos 130.

Captivitas prima Israelis. Šalmanʿasar, rex Chaldaeorum, decem tribus populi Iudaeorum captivas abduxit e Samaria et deduxit eas in terram Chaldaeorum. Et misit Assyrios[2] ad custodiendam terram eorum. Et cum emularentur in custodienda lege Iudaeorum, Samaritae nuncupati sunt. Hoc autem nomen Samaritarum «custodes» interpretatur.

Latini Romani appellati sunt. Et regnavit in eos primus Romulus; isque condidit Romam et in ea regnavit primum 38 annos.

Numas Pompilius : annos 43.

Aedificavit Capitolium a fundamentis. Isque donavit nummos ligneos et scorteos et testaceos loco eorum qui hodie sunt aurei et argentei ceterique.

Glaucus e Chio *insula oriundus* invenit conglutinationem ferri.

Manassen regem Iudae duces exercituum Assyriorum in captivitatem deduxerunt et miserunt Babylonem. Et cum esset in captivitate se convertit ad Deum patrum suorum, et recuperavit regnum suum; cum adscendisset e Babylone aedificavit murum australem Hierosolymorum, et simulacrum quod intulerat idolaque extra urbem eiecit; et stabilivit Iudaeam et Hierosolyma.

Tullus Ostilius : annos 33. Rex Romanorum is primus usus est purpureis et sceptris. Domus autem eius fulmine icta est, et ipse cum ea conflagravit et mortuus est.

[1] Lege «Zaro» (Röd.). — [2] Videtur auctor intellexisse «miserunt Assyrii».

Amon rex Iudaeae coluit deos gentium; et percusserunt eum eius servi gladio et mortuus est.

Iošia eiecit idola quae erexerat Amon, et purgavit templum et Hierosolyma et Iudaeam; et egit secundum id quod de eo vaticinatus *p. 103. erat *propheta qui venerat e Iudaea ad aram apud Ierobeʿamum regem Israelis.

Ḥezeqia instauravit murum Hierosolymorum qui dirutus erat, et fontem Šīlōḥae convertit intra murum.

Kelqī[1] summus sacerdos notus erat, qui et Ḥelqia.

Pugnavit Iošia cum Pharaone, rege Aegypti, et *is* interfecit Iošiam.

Vaticinatus est Uria filius Semaʿiae cum Ieremia et Baruk filio Nēriae. Uriam autem prophetam occidit Ioiacimus rex Iudae.

Anno 3° Ioiacimi, adscendit Nebukadnaṣar et subegit Hierosolyma; et deduxit captivitatem plurimam, etiam vasa ministerii *sacri* deduxit secum; et imposuit tributum Ioiacimo. — Et in hac captivitate descenderant Babylonem Daniel et Ḥanania et ʿAzaria et Mišaël.

Anno 10° Ioiacimi, adscendit Nebukadnaṣar rex Babylonis Hierosolyma et secum deduxit captivitatem plurimam.

Babylone vaticinatus est Daniel cum Ezechiele.

Postquam mortuus est Nebukadnaṣar, rex Babylonis, accepit imperium Babyloniorum Evilmerodak, et post eum Belṭšaṣar eius frater, cuius in diebus, secundum interpretationem Danielis scriptura apparuit in pariete significans ablatum esse a Chaldaeis imperium et deductum esse ad Medos et Persas.

Evilmerodak eduxit Iekoniam e carcere et in honore constituit eum, anno 37° migrationis eius.

Cyrus remisit captivitatem populi Iudaeorum; eius quidem diebus, cum adscendissent e Babylone ad quinque myriades usque *p. 104. Iudaeorum, altare erexerunt et fundamenta templi posuerunt; *et quia impediverunt eos populi vicini, mansit opus imperfectum usque ad Darium regem, cum solum altare staret.

Nehemias hebraeus instauravit muros Hierosolymorum; completum est opus anno 32° Artaxerxis, regis Persarum, sicut liber ʿEzrae ostendit. Et si quis velit numerare abhinc hebdomades septuaginta Danielis, quae sunt anni 490, invenientur compleri diebus Neronis, imperatoris Romanorum, cuius diebus obsidione pressa est Ierusalem,

[1] Χελκίας est Ḥilqia syriace (Röd.).

et duobus annis post hunc Neronem, manibus Espasiani eversionem ultimam passa est.

Manasse, frater Ioiadae summi sacerdotis Iudaeorum, aedificavit templum in monte Garizim.

Alexander evertit Tyrum, etiam Iudaeam cepit, et Persas Babyloniosque vicit, et occidit Darium; et anno 7° sui imperii condidit Alexandriam.

Antigonus Antigonam ad latus Orontis fluminis condidit; eam Seleucus perfecit et Antiochiam nominavit, et Laodiceam et Seleuciam et Apameam et Edessam et Alepum et Pellam [1] aedificavit.

Translati sunt Libri Pharo in insula intra septuaginta duas dies.

Tempora Romanorum [2] : Romanis primus imperavit Gaius Iulius, annos 5 [3].

Secundus Romanorum *imperator fuit* Augustus : annos 56 [4].

Hic habet finem regnum Iudaeorum; Herodes autem postea, cum ad eum non pertineret, a Romanis accepit regnum Iudaeorum.

*Pacor, rex Parthorum, et Bar Zaphron [5] dux exercitus, adscen- *p 105.
derunt in Syriam, et Hyrcanum, regem Iudaeorum, Phasaelemque fratrem Herodis in captivitatem duxerunt.

Postquam desierunt summi sacerdotes Iudaeorum regnavit Herodes, philistaeus, annos 37, filius Antipatri Ascalonitae et Cypridis arabissae, cum ei a Romanis concreditum esset regnum.

Diebus Herodis, cum appropinquaret nativitas Christi, summum sacerdotium paternae successionis nec non regnum Iudaeorum dissolutum est; tunc completa est prophetia, quae apud Mosen *scripta est*, quae dicit [6] : «Non deficiet princeps a Iuda neque dux e mediis femoribus eius, donec venerit ille cui repositum est; et is est expectatio gentium.» Hic etiam unctus dux qui praedicatur in prophetia, apud Danielem, finem accepit. Ad Herodem enim usque uncti erant duces : hi autem erant summi sacerdotes qui antistites erant populi Iudaeorum, qui initium habebant a renovatione templi, diebus Darii, Olymp. LXV^a, et desierunt diebus Hyrcani, Olymp. CLXXXVI^a : anni autem intermedii sunt 483; quemadmodum etiam liber Danielis vaticinatur dicens [7]: «Scias et intellegas, ab exitu sermonis de dando responso et aedificandis Hierosolymis

[1] Corrig. in ms. : ܦܠܠܐ (?). — [2] Inscriptio in codice postposita est notitiae Gaii. — [3] Ms. habet «annos 40»; corrige ܗ pro ܡ. — [4] Ms. habet «annos 16»; corrige ܢܘ pro ܝܘ. — [5] Βαρζαφάρνης, alias Βαρζαφράνης, cf. Ios., *Antiq.*, XIV, XIII, 3 (Röd.). — [6] *Gen.*, XLIX, 10. — [7] Dan., IX, 25.

usque ad unctum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae.» Hae igitur hebdomades 69 implent tempus annorum 483 principatus ducum unctorum[1], usque dum ductus est in capti-
*p. 106. vitatem *a Parthis Hyrcanus qui est ultimus omnium ducum.

Herodes, filius Antipatri, cui non competebat regnum, ab Augusto et Senatu Romanorum accepit regnum Iudaeorum, et deinceps huius filii usque ad ultimam eversionem Hierosolymorum. Nec vero amplius qui *erant* e successione generis sacerdotum sacerdotio fungebantur Deo, nec per omne tempus eorum vitae secundum legem Mosis, sed quidam ignobiles, modo hic modo ille, quorum alii *pro* anno uno alii *pro* breviore *tempore* a Romanis sacerdotium emebant. Haec Daniel vaticinatur dum dicit[2] : «Post septem et sexaginta duas hebdomades pervertetur unctio et iudicium non erit in ea, et templum et sanctum destruet populus cum duce veniente, et exscindentur in inundatione belli. Et deinceps in abominatione desolationis usque ad finem temporis consummatio dabitur super destructionem.»

Herodes dimicavit adversus Hierosolymam et cepit eam; evertit quidem ambos eius muros; multosque in ea occidit.

Et Ḥananelem accivit e Babylone et summum sacerdotem Iudaeorum eum constituit; brevi post, eum amovit, et Aristobulum fratrem suae uxoris, filium Hyrcani, ad dignitatem promovit; et elapso anno uno iterum Ḥananeli restituit ministerium, cum Aristobulum interfecisset.

Cleopatra fraudulenter egit in regnum Iudaeorum et Arabum, et nisa est ut acciperet eorum terram ab Antonio[3].

Cleopatra et Antonius[3] semet occiderunt, et Aegyptus Romanis subiecta est.

Herodes Hierosolymis multum aedificavit. Idemque Samariam
*p. 107. *quae vastata erat a fundamentis aedificavit. Et templum Hierosolymitanum evertit aliudque maius aedificavit. Herodes Caesaream aedificavit et nomine Caesaris eam cognominavit, quae olim Turris Stratonis appellabatur. Idem Anthedona[4] aedificavit et Agrippiada nominavit. Rursus autem aedificavit et Kaphar Saba[5], et aliam *civitatem* condidit appellavitque eam Herodion.

Augustus Pontifex Maximus decreto constitutus est; dominia et

[1] Ms. : «ducis uncti» numero singul., sensu generali, nisi corruptus sit textus. — [2] Dan., ix, 26, 27. — [3] Ms. : «Antonino». — [4] Ms. : «Aithedona». — [5] Ms. : «Krbsn»; Χαβαρσαβᾶ (Ios., *Antiq.*, XIII, xv, 1.).

urbes sibi subegit. Iuliam[1] filiam suam expulit quae accusata est adulterii.

Herodes Hyrcanum summum sacerdotem Iudaeorum occidit, postquam redierat e captivitate Parthorum. Occidit autem et huius filium qui acceperat sacerdotium patris sui; occidit quoque huius sororem, quae sua uxor erat, et duos filios quos ex ea habebat; et matrem occisae, quae erat socrus sua, et maritum Salomae suae sororis, occidit : et doctores legum divinarum et aemulationis patrum occidit.

Iesus Christus, filius Dei, Bethlehemi Iudae natus est[2].

Herodes quidem didicit a Magis tempus nativitatis Christi. Venerunt *enim* Magi ab oriente Hierosolyma, et primum exinde didicit Bethlehemi in civitate Davidis natum esse Christum. Mandatum acceperant dolo ab Herode[3] : «Ubi inveneritis eum, venite, edocete me.» Cum ivissent et invenissent eum, revelatum est eis visione nocturna, ne redirent ad Herodem; qui cum vidisset Magos sibi illusisse misit necatum pueros qui erant Bethlehemi et in finibus eius a bimatu et infra, secundum tempus quod ei dixerant Magi.

Eo quod occisi sunt in Bethlehem et eius finibus, hac de re *scripsi *p. 108.
Scriptura Rachelem ploravisse, quia accidit et facta est res priori similis, cum educeretur captivitas Iudaeae a rege Babyloniorum, et vaticinaretur Ieremias eorum captivitatem reversuram; ita dixit[4] : «Vox audita est in Rama : luctus et ploratus ingens : vox Rachelis plorantis filios suos et nolentis accipere consolationem, quia non sunt» in regione et in locis eorum, sed captivi abducti sunt. Et dixit *propheta* : «Est merces tuis lacrymis et revertentur filii in terminum eorum»; quod reversuri erant filii Israel cum filiis Iudae diebus Zorobabelis et Iešu[c], filii Iozedeci, summi sacerdotis. Regnum enim Iudaeae, quod erat e Iuda, qui est filius Liae, constitutum erat Hierosolymis quae sunt hereditas Beniamini qui est filius Rachelis, quemadmodum dixit Moses in suis benedictionibus[5] : «Inter humeros eius requiescet», quia fixum est tabernaculum Hierosolymis quae sunt in hereditate Beniamini. Illo igitur tempore, cum vaticinaretur Ieremias de captivitate regni Iudaeorum, dixit Rachelem lugere quoniam abducuntur filii Beniamini e Hierosolymis cum

[1] Ms. : «Iulianam». — [2] Quae sequuntur usque ad l. 9 pag. 87, Eusebiana non sunt (R.). — [3] Cf. Matth., II, 1. — [4] Jer., XXXI, 15-17; cf. Matth., II, 18. — [5] *Deut.*, XXXII, 12.

filiis domus Iudae. Rursum, plorat etiam captivitatem primam Israelis, quae effecta est per regem Assyriorum, nam est regnum eorum *Israelitarum* e domo Ephraimi filii Iosephi, filii Rachelis. Idcirco scripsit Scriptura, illo tempore Rachelem ploravisse, et hoc tempore novissimo cum necarentur pueri, diebus Herodis, Bethlehemi, quoniam in finibus huius *civitatis* interfecti sunt etiam filii Rachelis, siquidem conclusus est terminus domus Beniamini cum *termino* domus Iudae. Ita enim scriptum est [1] : mortuam esse Rachelem spatium parasangae ad ingressum Ophrit quae est Bethlehem. Et cum daret signum Samuel Sauli postquam unxerat eum ut esset
*p. 109. *rex super Israel, ita eum allocutus est [2] : « Ecce occurrent tibi [3] tres viri in Ṣalṣaḥ, ad sepulcrum Rachelis quod est ad terminum Beniaminis. »

Cum igitur iussisset Herodes ut occiderentur pueri, fugae mandaverat Zacharias Iohannem filium suum ne interficeretur. Et, ut opinor, hac de causa dixit Scriptura [4] : « In deserto habitabat usque in diem ostentionis suae ad Israel », quod in fuga erat. Cum peterent ab eo Iohannem, occiderunt hunc *Zachariam* ibi inter vestibulum et altare, et de ipso sane dixit Dominus noster [5] : « A sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae, filii Barachiae, quem occidistis inter vestibulum et altare »; non autem quod ad hunc usque Zachariam tantum poenae ab eis exigentur, sed vult dicere : ab initio usque ad currens tempus. Et hac ratione est sensus eorum sermoni. Qui autem opinantur de Zacharia filio Ioiadae locutum esse Dominum nostrum, difficultatem habent quoniam usque ad huius solum tempus locutus fuisset; insuper, scriptum est eum in aula domus Dei lapidibus obrutum fuisse, non autem inter vestibulum et altare occisum fuisse scriptum est.

.... hoc tempore Herodes [6]. Dixerunt Herodem e gentibus fuisse et Ascalone oriundum. Erat hariolus Apollinis idoli. In terra Augusti imperatoris Romanorum accepit potestatem, et factus est satrapa in terra Hierosolymorum; post autem mortem huius Herodis, cuius diebus apparuit Dominus noster, regnavere quattuor filii eius et tenuerunt potestatem variis in locis prout distinguit Evangelium. Filius huius. Herodes occidit Philippum fratrem suum et sibi sumpsit eius uxorem, quae est Herodias. Quapropter
*p. 110. *redarguebat eum Iohannes, quia non ei licebat accipere uxorem

[1] *Gen.*, XXXV, 19. — [2] I SAM., X, 2. — [3] Ms. : « ei ». — [4] LUC., I, 80. — [5] MATTH., XXIII, 35. — [6] Quaedam excidisse videntur.

fratris sui. (Et non solum quia erant Philippo, fratri suo, liberi non licebat Herodi accipere uxorem fratris [*ut generaret*] ei filios secundum legem, sed etiam [*quia occiderat eum;*] et propter haec duo quae in lege enuntiabantur redarguebat eum *Iohannes* : *nempe*)[1] quod occidisset fratrem suum et quod accepisset uxorem eius cum illa haberet liberos; quemadmodum etiam ab Abgaro, filio Abgari, dicitur in Evangelium : «Occidit fratrem suum injuste, et accepit eius uxorem inhoneste.»

Quirinus[2] ἡγεμών senatusconsulto missus est in Iudaeam, et descriptionem possessionum et incolarum fecit.

Herodes hydrope acriter afflictus est, et vermibus scatentibus e corpore eius, e mundo decessit.

Augustus Archelaum, filium Herodis, principem super populum Iudaeorum constituit.

Romanorum tertius Tiberius fuit princeps solus.

Herodes condidit Tiberiadem urbem.

Iohannes, filius Zachariae, summi sacerdotis, eremita, praedicabat ad ripam Iordanis fluminis, annuntians omnibus hominibus[3] : «Inter vos est Christus Filius Dei.» — Et ipse Iesus, Dominus noster, Filius Dei, ab hoc tempore initium fecit in doctrina salutari evangelii, quando verbis et factis veritatem divinae virtutis videntibus ostendebat.

Iesus, filius Dei, secundum prophetias de ipso, ad passionem accessit anno 19° regni Tiberii. Et eo tempore etiam in hypomnematis scriptorum Graecorum invenimus scripta esse singula. *«Sol defecit, Bithynia commota est, Nicaeae pars magna ruit.» Et sunt testati ea quae acciderunt in passione Salvatoris nostri. Scribit autem etiam Phlabos[4], qui descripsit Olympiadum tempora, de his rebus in libro decimo tertio hunc in modum : «Anno 4° Olympiadis CCII^ae, fuit eclipsis solis per tempus longum, qualis antea non fuit : et nox hora sexta diei facta est : ita ut stellae in caelo apparerent. Et fuit terrae motus magnus in Bithynia et magnam partem Nicaeae evertit.» Haec vir quem commemoravimus dixit. Ut ostendatur autem eodem anno accidisse passionem Salvatoris nostri, in probationem adducunt Lucam evangelistam qui scripsit anno 15° imperii Tiberii incepisse praedicationem Domini nostri, per tres

*p. 111.

[1] Uncis inclusa dubie vertimus; textus vix sanus est. — [2] Iterum Eusebiana. — [3] Cf. Luc., xvii, 21. — [4] Lege «Phlegon» (Eus. Hier. ann. 2047).

annos. Sicut hic, ita et Iosephus scripsit de eo tempore dicens[1] : «Die Pentecostes audita est a sacerdotibus vox magni tremoris quae dicebat : Migrandum nobis est hinc. Et perturbatio commotioque corripuit eos.» Et aliud quoque scripsit ipse Iosephus[2] : «Pilatus ἡγεμών, illo tempore, imagines Caesaris noctu in templo statuit : quod facere nefas erat, et primordium perturbationis magnae, verum etiam seditionis, ipse iniecit inter Iudaeos.»

Summa omnium annorum ab Adamo ad ascensionem Domini nostri : anni 5520. Passus est autem Salvator noster anno 340° *Alexandri.*

Episcopus primus ecclesiae Hierosolymitanae exstitit ex apostolis Iacobus, frater Domini nostri.

*p. 112. Romanorum. Iudaeorum[3]. Inde scire potes *quot tentationes continuo supervenerint populo Iudaeorum postquam impudenter egerunt contra Dominum nostrum Christum.

Olympias[3]. Pilatus post factum seditionis, de quo dictum est, propter Caesaris imaginem, invasit gazam templi, quae apud Iudaeos q u r b a n a dicitur, et in expensas aquae ductus exhausit : et causa alterius seditionis eis fuit.

Seianes ὕπαρχος Tiberii, qui plurimum apud imperatorem poterat, ut semel perderet populum Iudaeorum consilium ei dedit. Hoc commemorat Philon, in libro secundo Legationis.

Agrippas, filius Herodis regis, ivit Romam ut accusaret Herodem tetrarcham, et in vincula a Tiberio coniectus est.

Pilatus de doctrina Christianorum certiorem fecit Tiberium, et ipse Tiberius certiorem fecit Senatum; et, cum non probaret *Senatus*, mortem minatus est ipse Tiberius accusatoribus Christianorum. Et haec Tertullianus romanus narrat.

Multi e Senatoribus et ex Equitibus occisi sunt.

Romanorum quartus Gaius[4], annos 3 et menses 10.

Gaius Agrippam e vinculis solvit, et regem super Iudaeos constituit eum. Gaius seipsum deum esse praedicavit.

Iudaeorum duodecimus regebat Agrippas rex, annos 7.

Flaccus Avilius, praefectus Aegypti, populum Iudaeorum omnibus tentationibus vexavit per septem annos; et una cum eo etiam
*p. 113. populus Alexandrinorum plagis cuiuscunque generis in eos *usus est, et eorum synagogas quae vocantur apparatu imaginum, sta-

[1] *Bell. Iud.*, VI, v, 3. — [2] *Ibid.*, II, ix, 2. — [3] Haec nomina e capite columnarum canonis hic migravisse videntur. — [4] Caligula.

tuarum, altarium, sacrificiorum polluit. Et haec narrat Philon in libro quem scripsit de Flacco, dicitque se praesentem fuisse his gestis et suis occulis ea vidisse, atque legationem ad Gaium Iudaeorum gratia suscepisse.

Gaius uxorem Memmii Reguli abduxit et *hanc* uxorem inter uxores accepit, dum cogit Memmium patrem suae uxoris esse ut inscriberetur.

Pontius Pilatus in varias incidit tentationes, et suis manibus se interfecit : et hoc etiam scriptores romani narrant.

Gaius Petronio, Syriae praefecto, mandavit ut statuam Iovis Hierosolymis erigeret. In synagogis Iudaeorum in universa terra statuae et simulacra Gaii et arae posita sunt. Et haec scribunt Philon et Iosephus.

Multi e nobilibus a Gaio occisi sunt. Etiam sorores suas in insulas fugere coegit.

Gaius eos qui in fuga erant interfecit.

Gaius occisus est a custodibus.

Romanorum quintus imperavit Claudius, annos 13 et menses 8 et dies 28.

Petrus apostolus ipse primus posuit fundamenta ecclesiae Antiochenae, et in urbem Romam profectus est ibique praedicavit evangelium; et praefuit ecclesiae quae ibidem erat annos 25.

Marcus evangelista, nuntius et interpres Petri, in Aegyptum et Alexandriam profectus, eis praedicavit verbum Christi.

Episcopus primus Antiochiae exstitit Euodius.

*Agrippas murum tertium Hierosolymorum aedificare coepit; et *p. 114.
timuit a Claudio Caesare : posuit fundamenta et destitit[1].

Fames magna corripuit universam terram, et prophetia Agabi, quae in Actis Apostolorum est[2], eventum habuit, qua praedixerat famem futuram in universam terram.

Stephanus lapidatus est Hierosolymis.

Agrippas occidit Iacobum fratem Iohannis, et etiam Simeonem Cepham *in carcerem* inclusit.

Agrippas, rex Iudaeorum, qui regnaverat septem annos, mortuus est. Agrippas eius filius *rex* constitutus est a Claudio.

Claudius de Britannis triumphavit.

Iudaeorum XIIIus, regebat Agrippas iunior, annos 26.

[1] Haec notitia non ex Eusebii *Chron.* deprompta est. — [2] *Act. Apost.*, XXI, 38.

Inter Theram et Therasiam apparuit insula triginta stadiorum.

Cum Romae census populi actus esset a Claudio, inventi sunt cives descripti DCXCIV myriades et IV milia *numero esse.*

Thrac[i]a quae huc usque sub rege erat, iam provincia facta est.

Petrus apostolus moderator factus est ecclesiae Romanae.

Philon philosophus iudaeus Alexandriae innotuit.

Dum Cumanus ἐπίτροπος erat Iudaeae, diebus azymorum seditio fuit Hierosolymis, tanta ut Iudaeorum protererentur et perirent plus quam tres myriades.

Fames dira fuit in Hellade, ita ut venderetur modius sex zūzē[1]. Fuit fames magna Romae.

*p. 115. *Claudius misit Felicem ἐπίτροπον in Iudaeam; eius diebus Paulus apostolus a Iudaeis accusatus est et apologiam apud eum pro seipso fecit.

Cum Felix ἐπίτροπος Iudaeae esset, multi exstiterunt seductores populi, e quibus etiam Aegyptius quidam pseudopropheta tres myriades eorum quos seduxerat ad se congregavit et magnas res ausus est; per strategiam Felicis dissolutus est. Scribit haec Iosephus, consentiens eis quae in Actis Apostolorum *leguntur*, ubi chiliarcha dicit *Paulo*[2] : «Nonne tu es ille Aegyptius qui ante hos dies migrasti et eduxisti in desertum quattuor milia hominum?»

Claudius mortuus est in palatio.

Romanorum VI^us regnavit Nero, annos 13 et menses 7 et dies 28.

Cum Felix ἡγεμών esset, seditio Iudaeorum fuit Caesareae Stratonis, et multi ex eis destructi sunt.

Festus accepit gubernationem Felicis ; coram eo Paulus apostolus stetit et apologiam fecit pro eis quae praedicaverat, praesente ad audiendum Agrippa rege, et vinctus Romam missus est.

Fuit terrae motus magnus Romae; et eclipsis solis.

Nero Agrippinam matrem suam interfecit; rursus etiam sororem patris sui.

Nero Romae in tractanda cithara vicit.

Post Festum, ἡγεμών Iudaeae fuit Albinus.

Iacobum fratem Domini nostri, qui vocabatur Iustus, Iudaei
*p. 116. lapidaverunt; et accepit eius episcopatum Simeon, *qui vocatur Simon.

[1] ἐξ διδραχμῶν (Sync., 630, 10). — [2] *Act. Ap.*, XI, 28.

Dum parata est mensa Neronis decidit in eam fulmen.

Post Marcum evangelistam episcopus primus ecclesiae Alexandrinae fuit Annianus; et rexit *eam* annos 22.

Nero Romae in tractanda cithara vicit *denuo*.

Incendia plurima Romae fuerunt. Terrae autem motu ruerunt tres civitates in Asia : Laodicea, Hierapolis et Colossae.

Post Albinum Florus fuit ἡγεμών : eius diebus rebellarunt Iudaei.

Certamina olympiaca non sunt acta, quia Nero cunctatus est in adventu suo.

Multi e nobilibus Romae a Nerone occisi sunt.

Nero Olympiae coronatus est inter praecones et tragoedos et citharoedos, et curru pullorum, et curru perfecto decem pullorum.

Rursus Nero Isthmiis et Pythiis et Actiis et inter praecones et inter tragoedos et inter citharoedos coronatus est.

Senatus decrevit ut darent Neroni in ministerium eius mensae per annum myriades mille.

Nero, praeter viros insignes, etiam Octaviam uxorem suam interfecit; isque Cornutum persecutus est.

Musonius et Plutarchus philosophi noti erant.

Nero, praeter omnia crimina sua, primus excitavit persecutionem adversus Christianos; cuius diebus [1] Petrus et Paulus Romae martyrium passi sunt.

Iudaei rebellarunt in Romanos, quia oppressionem Flori non ferebant. Misit adversus eos Nero Espasianum ducem exercitus, et cepit loca multa Iudaeorum.

Flavius Iosephus scriptor *fuit dux exercitus Iudaeorum in bello; *p. 117.
cum paullo abesset ut interficeretur a Romanis [2], praedixit Espasiano mortem Neronis et imperium ipsi futurum.

Post Petrum heres fuit episcopatus ecclesiae Romanae primus Linus, per annos 12.

Nero cum nuntii undique ad aures eius perferrentur minime iucundi seipsum interfecit.

Post Neronem Galbas in Iberia, Vitellius in Germania, et Othon Romae : seorsum quisque ad imperium assiluit.

Galbas regnavit septem menses ; Romae caput ei amputatum est.

Espasianus duabus pugnis vicit Iudaeos eosque obsedit.

[1] Sic legendum, mutata codicis interpunctione. — [2] Ms. : «a Iudaeis».

Vitellius cum regnasset tres menses seipsum occidit[1].

Antiochiae episcopus secundus exstitit Ignatius.

Romanorum VII^us regnavit Espasianus : annos 9 et menses 11 et et dies 22.

Espasianus αὐτοκράτωρ a copiis suis in Iudaea appellatus est, et bellum iudaicum *gerendum* Tito filio suo commisit et ipse via Alexandriae ad urbem Romanorum profectus est.

Templum Iovis Capitolini arsit.

Titus Iudaeos pressit et Hierosolyma diruit et sex myriades hominum occidit. Dicit autem Iosephus[2] : fame et gladio centum et decem myriades periisse, et decem myriades alias captivorum venumdatas esse; causam autem cur tantus populus reperiretur in civitate fuisse festum azymorum quo omnes cives ibi convenerant, et quasi in carcere inclusi fuere. Decebat autem eos qui diebus azy-
*p. 118. morum *audacter aggressi sunt Salvatorem eodem die dare poenas.

Comprehendit autem totum tempus usque ad annum 2um Espasiani et ultimam eversionem Hierosolymorum, inde ab anno 15° Tiberii et initio praedicationis Salvatoris nostri, annos 42 ; ab obsidione autem diebus Antiochi *facta* : annos 238; ab anno 2° Darii quo templum Hierosolymitanum exstructum est secunda vice : annos 590; ab aedificatione prima templi, diebus Salomonis facta, usque ad eversionem ultimam diebus Espasiani : annos 1103.

Espasianus Capitolium instaurare coepit.

Alexandriae seditio facta est.

Colossus erectus est : eius longitudo 107 pedum.

Cypri tres urbes terrae motu ruerunt.

Pestis magna fuit Romae, ita ut cotidie mortui reperirentur plus quam myrias.

Espasianus colonos misit, et mortuus est; regnavit autem annos 9 et menses 11 et dies 22.

Romanorum VIII^us imperavit Titus, annos 2 et menses 2.

Besbion mons ruptus est a vertice et ignem efflavit, ita ut regionem vicinam et urbes circumiacentes incenderet.

Romanorum IX^us imperavit Domitianus : annos 15 et menses 5.

Uxor Domitiani Sebaste appellata est.

Decrevit Senatus ut Titus deus appellaretur.

Domitianus Sebastos vetuit ne quis faceret eunuchos.

[1] Eadem nominum Vitellii et Othonis permutatio occurrit in graecis, v. gr. *Chron. pasch.*, 460, 1 (Röd.). — [2] Cf. *Bell. Iud.*, VI, IX.

Virgines tres sacerdotes Hestiae in stupro deprehensae sunt *et poenam sustinuerunt. *p. 119.

Multos nobilium filios proscripsit Domitianus et occidit.

Episcopus II^us^ ecclesiae Alexandrinae Abilus fuit; et rexit annos 13.

Domitianus exstruxit templum in quo nulla erant ligna.

Nasamones et Daci pugnarunt cum Romanis et victi sunt.

Duorum mensium apud Romanos nomina mutata sunt : Sebṭemrios in Germaniqos et Hoqṭombri(o)s in Domiṭianos.

Domitianus multos proscripsit et occidit.

Domitianus Chaldaeos et philosophos Roma expulit.

Domitianus de Dacis et de Germanis triumphavit.

Prima virginum Hestiae, Cornelia, stupri accusata est et viva defossa est secundum legem.

Iussit Caesar ne vitis plantaretur in urbibus.

Episcopus III^us^ ecclesiae Romanae Clemens, annos 9.

Flavius Iosephus hoc tempore conclusit libros [1] viginti chronographiae suae.

Secundus post Neronem Domitianus Christianos persecutus est. Et in eius diebus etiam Iohannes apostolus in Patmum insulam eiectus est, ubi etiam apocalypsim vidisse dicitur, ut perhibet Irenaeus.

Iussit Domitianus ut interficerentur omnes qui essent e familia Davidis, ne quis maneret successor regni Iudaeorum. Narrat autem Brettios [2] multos Christianos diebus Domitiani martyrium subiisse, et Flaviam Domitillam, filiam sororis Clementis consulis, relegatam esse in insulam Pontiam, quod *se christianam profiteretur. *p. 120.

Signa magna Romae et in universa terra fuerunt.

Domitianus occisus est in palatio.

Romanorum X^us^ imperavit Nervas, annum unum et menses 4.

Episcopus III^us^ ecclesiae Alexandrinae extitit Cerdon [3], annos 11.

Decrevit Senatus ut honor Domitiani tolleretur. Et e fugitivis, qui putabantur perperam ab eo expulsi esse reversi sunt, et nonnulli etiam possessiones suas receperunt.

Dicunt autem tunc etiam Iohannem apostolum dimissum esse ab insula et Ephesum rediisse, ubi domicilium habebat.

[1] Ms. pro «libros» habet «annum». — [2] Ms. : «Burṭnos». — [3] Ms. : «Qdron», inversio haud rara apud Syros scriptores.

Iustus Tiberiade oriundus scriptor Iudaeorum notus erat.

Nervas morbo extinctus est in horto Salustii[1].

Romanorum XI^us regnavit Traianus, annos 19 et menses 6.

Senatus decrevit Nervam esse deum.

Episcopatum ecclesiae Romanae accepit quartus Euari[s]tus, annos 8.

Iohannem apostolum scribit Irenaeus usque ad tempus Traiani permansisse in mundo; post quem qui auditores eius fuerant innotuerunt : Papias hierapolitanus, et Polycarpus, episcopus sedis Smyrnensis; rursum, etiam Ignatius, episcopus Antiochenorum.

Traianus de Dacis et de Scythis triumphavit.

Traianus Daciam provinciam fecit.

Romae domus aurea incendio consumpta est.

Terrae motus fuit magnus et evertit in Asia quattuor civitates.

*p. 121. *Exstitit in ecclesia Alexandriae IV^us *episcopus* Primus, annos 12.

Cum Traianus movisset persecutionem adversus Christianos, Simeon, filius Cleophae, episcopus ecclesiae Hierosolymitanae martyrium passus est, et post eum fuit Iustus.

Simili modo, etiam Ignatius episcopus Antiochenorum martyrium passus est; et post eum tertius fuit Eros[2].

Plinius[3] Secundus ἡγεμών unius e provinciis Christianos multos morte damnavit, et e dignitate deiecit eos, quia pertubatus est multitudine populi : qua de causa nesciens quid iam se agere deceret, scripsit Traiano imperatori, significans ei, praeter quam nollent idola colere, nihil inhonesti se invenisse apud eos; edocuit eum etiam hoc : « Surgunt mane et Christum velut deum laudant; prohibent autem occidere, adulterium committere et his similia. » Ad haec rescripsit Traianus gentem Christianorum non esse inquirendam. Haec quidem Tertullianus narrat.

In Galatia tres civitates terrae motu eversae sunt.

Romae, templum quod omnium deorum[4] appellatur fulmine destructum est.

Post Iustum accepit sedem ecclesiae Hierosolymitanae quartus Zachai, et post eum quintus Tobia, et post eum sextus Beniamin,

[1] Sic emendandus textus; ms. : « *islusis* ». — [2] Sic legendum; ms. : « Neron », — [3] Ms. : « Philinos ». — [4] Pantheum.

et post eum septimus Iohannes, et post eum octavus Matthai, et post eum nonus Philippus.

Trianus fecit Armeniam provinciam.

Terrae motus fuit Antiochiae, et parum abfuit quin everteret urbem.

Iudaei qui in Libya, cum paganis qui habitabant apud eos, seditionem movere et pugnare coeperunt; nec non illi qui in Aegypto et Alexandriae *degebant.*

Cum autem fecissent seditionem Iudaei Mesopotamiae, mandavit *Autocrator Lysiae Quieto[1] ut removeret eos e tota provincia. Et * p. 122.
arma sumpsit Quietus, et multas myriades Iudaeorum ibi occidit: ob quam victoriam ἡγεμών Iudaeae ab Autocratore constitutus est.

Contra Salaminam, quae est in Cypro, surrexerunt Iudaei, et paganos qui in ea *erant* trucidarunt ipsamque urbem subverterunt.

Traianus morbo mortuus est.

Romanorem XII^us^ regnavit Hadrianus, annos 22.

Et Alexandriam quae perturbata erat a Iudaeis restituit; et subegit quidem Iudaeos qui rebellaverant adversus Romanos secunda vice; et remisit debita, et chartas in ipsa urbe combussit; et tributum pluribus remisit donaque dedit.

Episcopatum[2] ecclesiae Romanae accepit sextus Xystus, annos 3; et ecclesiae Alexandrinae quintus Iustus, annos 11.

Fuit terrae motus et corruit Nicomedia et maior pars Nicaeae: ad quarum instaurationem Hadrianus expensas tradidit.

In Libyam, quae devastata erat a Iudaeis, misit habitatores.

Post Philippum fuit episcopus Hierosolymis [X^us^][3] Senecas, XI^us^ Iustus, XII^us^ Levi, XIII^us^ Ephros[4], XIV^us^ Iose, XV^us^ Iuda. Omnes isti e circumcisione administrarunt episcopatum usque ad obsidionem diebus Hadriani.

Episcopatum ecclesiae Romanae accepit septimus Telesphorus: annos 20.

Episcopus ecclesiae Antiochenae exstitit quartus Cornelius[5].

Nicopolis et Caesarea corruerunt terrae motu.

Episcopus Alexandriae exstitit sextus Eunomius, annos 13.

[1] Λυσίᾳ Κυίντῳ (Sync., 657, 9). — [2] Re quidem vera, hic et in quibusdam locis infra, non «episcopatus» sed «episcopus» legitur in ms.; ita ut ad litt. vertendum foret «episcopus ecclesiae Rom. successit sextus...», peculiarem sensum verbo ܩܒܠ assignando.. — [3] Numerus omissus est; cf. supra, l. 2. — [4] Sync.: Ἐφραΐμ. — [5] Ms.: Cyrillus; lege: ܩܘܪܢܠܝܘܣ.

*p. 123. Bellum Iudaeorum in Palaestina finem *accepit, quo crevit condemnatio Iudaeorum in malis quae toleraverunt. Ab hoc autem tempore vetiti sunt Hierosolyma ascendere : primum quidem Dei voluntate, dein edicto Romanorum.

Episcopus primus e gentibus extitit Hierosolymis Marcus.

Hadrianus in hydropem letalem incidit et mortuus est.

Romanorum XIII^us^ *imperavit* Titus Antoninus cum suis filiis Aurelio[1] et Lucio, annos 22.

Episcopus ecclesiae Romanae VIII^us^ Hygienos, annos 4.

Et eius diebus Valentinus et Cerdon[2] caput haeresis Marcionitarum exstiterunt.

Episcopus Romae IX^us^ Pius, annos 15.

Episcopus Antiochae V^us^ Eros.

Episcopus Alexandriae VII^us^ Marcus, annos 10.

Eiusdem *urbis* VIII^us^ Celadion, annos 14.

Episcopus Romae X^us^ Anicetus, annos 11; cuius diebus Polycarpus cum Romam venisset, multos ex haereticis convertit et ibi martyrium passus est.

Episcopus Hierosolymorum XVII^us^ Cassianus; XVIII^us^ Publius; XIX^us^ Maximus; XX^us^ Iulianus; XXI^us^ Gaianus; XXII^us^ Symmachus; XXIII^us^ Gaius; XXIV^us^ Iulianus; XXV^us^ Capiton[3].

[Romanorum] XV^us^ regnavit Marcus[4].

Episcopus Alexandriae IX^us^ Agrippinus, annos 19.

Cum persecutio in Asia esset, Polycarpus martyrium subiit et Papias : quorum martyria in libro exstant *scripta*.

*p. 124. *Multi autem in Galatia martyrium subierunt.

Episcopus Romae XI^us^ Soter[5], annnos 8.

Episcopus Antiochae VI^us^ Theophilus.

Episcopus eiusdem Romae XII^us^ Eleutherius, 15 annos[6].

Episcopus Antiochiae VII^us^ Maximus.

Antoninus morbo decessit.

Episcopus Alexandriae X^us^ Iulianus, annos 10.

Romanorum [XIV^us^] imperavit Commodus, annos 13.

Episcopus Hierosolymorum XXVI^us^ Maximus; XXVII^us^ Antoninus; XXVIII^us^ Valens; XXIX^us^ Dolichianus[7]; XXX^us^ Narcissus ; XXXI^us^

[1] Ms. : «Aureliano», ut saepe apud Syros. — [2] Ms. : «Qdron»; cf. p. 93, n. 3. — [3] Ms : «Qaption». — [4] Verus. Quaedam exciderunt. — [5] Ms. : «Sator». — [6] Notitia Eleutherii in ms. omissa est; eius loco repetita est notitia Soteris. — [7] Ms. : «Dvlksnavs».

Dius; XXXII[us] Germanus; XXXIII[us] Gordianus; XXXIV[us] Narcissus.

Episcopus Alexandriae XI[us] Demetrius, annos 43.

Episcopus Antiochiae VIII[us] Serapion.

Commodus subito mortuus est cum strangulatus est in domo (Vestiliani)[1].

Romanorum XVI[us] [imperavit Pertinax, menses 6.

Episcopus Romae XIII[us]] [2] Victor, annos 10.

Pertinax occisus est in palatio[3].

Romanorum XVII[us] regnavit Severus, annos 18.

Episcopus Romae XIV[us] Zephyri[nu]s, annos 18.

Cum flaret persecutio in ecclesiam, Leonidas pater Origenis martyrium subiit.

Alexander in confessione coronatus est.

Severus mortuus est inter Barbaros; et Antoninus eius filius regnavit post eum, annos 7.

Episcopus Antiochiae IX[us] Asclepiades.

Episcopus Hierosolymorum XXXIV[us] Alexander.

Antoninus occisus est inter Ḥarran et Edessam.

*Romanorum XIX[us] regnavit Macrinus, annum unum. * p. 125.

Episcopus Antiochiae X[us] Philetus.

Regnavit Edessae vir praeclarus Abgar, ut narrat Africanus.

Macrinus occisus est Archelaide.

Romanorum XX[us] regnavit Antoninus, annos 4.

Episcopus Romae XV[us] Callistus, annos 5.

Romanorum XXI[us] regnavit Alexander, filius Mammaeae, annos 13.

Episcopus Romae XVI[us] Urbanus, annos 9.

Episcopus Antiochae XI[us] (Zebennus)[4].

Episcopus Alexandriae XII[us] Heraclas, annos 19.

Episcopus Romae XVII[us] Pontianus, annos 15.

Alexander occisus est.

Romanorum XXII[us] regnavit Maximinus, annos 3.

Et in gubernatores ecclesiae persecutionem movit, et repente occisus est.

Romanorum XXIII[us] regnavit Gordianus[5] annos 6. Et repente occisus est in Parthia[6].

[1] Ita complendum ex Eus. ann. 2208. — [2] Ita ex Eus. ann. 2209. — [3] Sic vertimus, neglectis prava codicis interpunctione et vocabulo ܗܘ. — [4] Ex Eus., ann. 2245. — [5] Ms. : «Godrianos». — [6] Ms. : «Prt».

Episcopus Romae XVIII^{us} Antherus, mensem unum; — et post eum XIX^{us} Fabianus, annos 12.

Romanorum XXIV^{us} regnavit Philippus, annos 7.

Sub imperio Philippi, qui cum Philippo suo filio *regnabat*, mille anni Romanis impleti sunt.

Episcopus Alexandriae XIII^{us} Dionysius, annos 17.

Philippus occisus est cum suis filiis.

Romanorum XXV^{us} regnavit Decius, annum unum. Et cum interfecisset Philippum et huius filium cum eo, in persecutionem adversus Christianos confortatus est, et repente cum suo filio in *urbe* Abriṭos[1] occisus est.

Post Alexandrum Hierosolymis fuit Mazabanus; et post Babylam Fabianus Antiochiae.

Romanorum XXVI regnaverunt Gallus et Volusianus, annos 2.

* p. 126. *Episcopus Romae XX^{us} Cornelius[2], annos 2.

Novatus scidit ecclesiam et haeresim Novatianorum excitavit.

Episcopus Antiochiae XIV^{us} Domitianus[3].

Episcopus Romae XXI^{us} Lucius, cui successit XXII^{us} Stephanus, annos 3.

Gallus et filius eius occisi sunt.

Romanorum XXVII regnaverunt Valerianus et Gallienus, annos 15.

Adversus Christianos persecutionem excitavit *Valerianus* et servitutem statim apud Persas pertulit; et postquam is captus est quietem filius eius *Gallienus* Christianis concessit.

Sabur, rex Persarum, Syriam et Ciliciam et Cappadociam vastavit.

Gothi transgressi sunt Danubium flumen et provinciarum multarum *incolas* in captivitatem deduxerunt, et vastaverunt insulas quae vocantur Cyclades.

Episcopus Antiochiae XV^{us} Paulus samosatenus; et doctrinam veram adulteravit haeresimque Artemonis renovavit. Et institutus est pro eo XVI^{us} Domnus.

Episcopus Alexandriae XIV^{us} Maximus, annos 18.

Episcopus Hierosolymorum Hymenaeus.

Gallienus occisus est Mediolani.

Romanorum XXVIII^{us} regnavit Claudius, annos 2.

[1] ἐν Ἀβύρτῳ. *Chr. pasch.*, 505, 4. — [2] Ms. : «Cyrillus»; cf. p. 95, n. 5. — [3] Sic ms.; lege «Demetrianus».

Romanorum XXIXus regnavit Aurelianus[1], annos 5.

Et cum meditaretur excitare adversus nos persecutionem, fulmen de caelo eum cohibuit; occisus est dolo in domo eius Custodiae Novae.

Episcopus Antiochiae XVIIus Timotheus.

Romanorum XXXus regnavit Tacitus, menses 6.

Et cum occisus esset in Ponto, regnavit Florianus dies 88; occisus est Tarsi.

Romanorum XXXIus regnavit Probus, annos 6.

*Episcopus Romanorum XXVus Felix, annos 5. *p. 127.

Eusebius et Anatolius eius successor, episcopi Laodiceae, ut laudabiles doctrina philosophorum noti erant.

Episcopus Antiochiae XVIIIus Cyrillus.

Episcopus Romae XXVIus Eutychianus, menses 8; et post eum XXVIIus Gaius, annos 15.

Probus occisus est Sirmii[2].

Episcopus Alexandriae XVus Theonas, annos 19.

Romanorum XXXIIus regnavit Carus[3] cum filiis suis, annos 2.

Carus mortuus est in Mesopotamia. Et Numerianus[4] occisus est ab eo in Thracia, et Carinus similiter in pugna cum Carinino[5].

Romanorum XXXIIIus regnavit Diocletianus, annos 20.

Et anno tertio sui regni consortem *imperii* sibi fecit Maximianum[6] *Herculium*.

Constantius et Maximianus Iovius[7], nobilissimi Caesares, anno 9° Diocletiani ad imperium promoti sunt.

Episcopus Romae XXVus Marcellinus.

Alexandria cum Aegypto in rebellionem venerunt, opera Achillis; ast constitere non potuit *is* coram pugna Romanorum in qua multi occisi sunt, poenam luentibus qui causa fuerant rebellionis, anno 13° Diocletiani.

Episcopus Hierosolymorum XXXVIIus Zabda.

Veturius, dux exercitus, Christianos qui in militia erant aliquantulum persecutus est, et ex inde persecutio in omnes *Christianos* invaluit.

Episcopus Hierosolymorum XXXVIIIus exstitit Hermon.

[1] Ms. : «Aulerianos». — [2] Ms. : «Srbivn». — [3] Ms. : «Qvrvs». — [4] Ms. : «Iumerianus»; haud semel ـ pro ر legit scriba noster. — [5] Sic ms.; cf. Eus. arm. 2302. — [6] Ms. : «Maximinus»; cf. p. 49, n. 1. — [7] Sic ms.

*p. 128. *Episcopus XIX^{us} Antiochiae exstitit Tyrannus.

(Episcopus) ecclesiae Alexandriae XVI^{us} post Theonam *fuit* Petrus qui laudabiliter postea, anno persecutionis nono, martyrium passus est.

Cum autem fuisset motus terrae validus magna pars Tyri et Sidonis concidit, ingensque populus periit.

Anno 19° huius imperii, mense adar, in festo Azymorum, eversio ecclesiarum facta est. Et post duos annos persecutionis Diocletianus et Maximianus[1] abalienati sunt ab imperio et a Deo.

Constantinus[2] in honore excessit e mundo, postquam regnavit annos 12.

Et post eum Constantinus victor, eius filius, Romanorum XXXIV^{us} imperavit annos 32.

Maxentius et Severus mortui sunt.

Constantinus dedit libertatem omnibus christianis.

Episcopus Hierosolymorum XXXIX^{us} Macarius.

Episcopus Antiochiae [XX^{us}] Vitalis[3].

Episcopus Alexandriae XVII^{us} Alexander.

Constantinus filium suum Constantium appellavit Caesarem.

Episcopus Antiochiae XXI^{us} Philigonius.

Episcopus Antiochiae XXII^{us} Paulinus[4], menses 7; — et post eum XXIII^{us} Eustathius, annos 4.

Comprehendunt omnes anni usque ad annum 20um Constantini : ab anno 15° Tiberii et ortu Salvatoris nostri, 298 annos; — ab anno 2° Darii regis Persarum, cuius diebus instauratum est templum hierosolymitanum, annos 847; — ab Olympiade I^{a}, qua vaticinabantur apud Iudaeos Isaias et qui cum eo *erant*, annos 1102; — a Salomone et prima aedificatione templi hierosolymitani, annos 1359; — ab excidio Ilii, quo *tempore* apud Hebraeos innotuit

*p. 129. Šimšon, annos 1[50]7[5]; — *a Mose et primo rege Atheniensium Cecrope *διφυεῖ*, annos 1837; — ab Abrahamo et imperio Nini et Semiramidis eius uxoris, annos 2342.

Continet universus canon ab Abrahamo usque ad annum 20um Constantini : tempus annorum 2342. — A diluvio autem usque ad annum 120um Phalagi, quo confusae sunt linguae, *sunt* anni 662; et a confusione linguarum usque ad Abraham, anni 420; qui fiunt universi anni 1082. — Simul universi anni sunt 5522[6].

[1] Ms. : «Maximinus». — [2] Lege : «Constantius (Chlorus)». — [3] Ms. : «Bitilios». — [4] Ms. : «Flavianus»; cf. p. 52, n. 4. — [5] Ms. : 1007. — [6] Ita si addideris 1098 annos ab Adamo ad diluvium.

ST. MICHAEL'S COLLEGE LIBRARY

Secundum autem supputationem Hebraeorum *sunt* Iubilaea LXXXVI, quae sunt quinquageni anni, hisque continentur anni 4300.

Ex inde pax plurima[1].

Constantinus clementissimus adversus eos qui impugnabant religionem Christianorum bellum paravit et obtinuit victoriam a Deo suis precibus. Idcirco etiam ecclesias propter conversionem Christianorum omni loco in honorem Dei condidit. Subiecti sunt ei reges et populi Barbarorum.

Et synodum universalem episcoporum congregavit. Et Drepanum instauravit in honorem Luciani martyris, qui ibi depositus erat, et de nomine suae matris Helenae Helenopolim appellavit hanc *civitatem*. Antiochiae ecclesiam magnam condidit. Et propter suum amorem Dei, memoriam idolorum delevit fanaque eorum evertit.

Episcopus Hierosolymorum XXXX^us^ Maximus.

Episcopus Alexandriae XVIII^us^ Athanasius.

Episcopus Antiochiae XXIV^us^ Eulalius; — et post eum XXV^us^ Eusebius.

Eusebius, filius Pamphili, episcopus Caesareae *Palestinae scri- *p. 130.
ptor innotuit, cuius etiam multi libri asservantur.

Constantinus urbem famosam et fortunatam condidit, et senatu honoravit eam, quam et Constantinopolim nominavit, quae antea Byzantia appellabatur.

Et deinceps ex hoc mundo pie exiit, qui regnaverat annos 32.

Post eum eius filii Constantius et Constantinus[2] et Constans, annos 13.

Eustathius, presbyter constantinopolitanus, opera apostolica peragebat, et Zenobius archidiaconus innotuit. Et templum Hierosolymis condidit prout praecepit Constantinus.

In Mesopotamia, multi Assyriorum in Perside degentium ab Arabibus venditi sunt.

Šabur, rex Persarum, venit in Mesopotamiam ut Nisibin occuparet. Obsedit eam 66 dies. Et Iacobus, episcopus Nisibis, per orationem suam repulit ab ea exercitum; et cum in regionem suam reverterent famem et pestem coram se mercedis loco invenerunt *Persae*.

[1] Hic explicit compendium Eusebianum. — [2] Notanda permutatio nominum Constantini et Constantii; quae etiam infra pluries occurrit; cf. p. 150.

Episcopus Alexandriae XIX^us Gregorius.

Constantinus novus decessit; regnaverat annos 25.

Antiochiae Syriae, ecclesia sphaericae formae completa est intra 15 annos. Eius dedicationem celebravit Constantius, diebus episcopi Flacilli[1], die Epiphaniae Salvatoris nostri.

Episcopus Antiochiae XXVIII^us Stephanus.

Antiochia terrae motibus plurimis, per dies 13 in periculo constituta est.

Šabur Christianos persecutus est.

Neocaesarea Ponti submersa est praeter ecclesiam, episcopum et aliquot viros eximios qui in ea versabantur.

Episcopus Antiochiae XXIX^us Leontius, vir castus.

*p. 131. *Constantius portum Seleuciae in Isauria[2] fecit, resecto monte magno; et urbem aedificavit.

In Phoenice urbem condidit quam Constantiam nominavit; antea autem Antaradus appellabatur.

Etiam in Mesopotamia aedificavit Amidam civitatem, quam Augustam Constantinam appellavit.

Rursum in Osrhoene urbem condidit quam appellavit Constantinam, quae antea appellabatur Antoninopolis.

Et anno 18° sui regni, bellum gessit adversus Licinium[3], eumque vicit et eius regnum occupavit.

Anno sequenti, rebellavit adversus eum Martinus, qui regnavit 3 menses et occisus est. Et obtinuit universum imperium Romanorum Constantinus cum suis filiis Constantino, Constantio et Constante, anno 11° pacis ecclesiis factae.

Anno 632° secundum aeram Graecorum, scripsit epistulas pacis ecclesiis Dei, et magnificavit et honoravit sacerdotes qui in eis ministrabant, eos liberavit[4]; et honoravit loca ubi deposita erant ossa iustorum, eaque liberavit[4] et magnificavit; et etiam loca signorum quae fecit Dominus noster in praeclaris suis *gestis*, et iudicii quo iudicatus est et passionis eius et ascensionis eius, aedificavit et ornavit.

Etiam in Persidem misit epistulam ad Šabur de honore Christianorum.

Tradidit Deo cor suum : et etiam Deus magnificavit eum et exaltavit eum supra regna, et tradidit inimicos eius in eius manus

[1] Ms. : «Fliqilpos»; cf. Eus. hier. ann. 2345; infra, p. 150 : Placitus. — [2] Sic ms.; lege «Syria». — [3] Ms. : «Lbinvs». — [4] Id est «a tributis exemit».

et retribuit ei gratiam operum eius pulchrorum. Et recubuit in lecto quietis suae, et in honore mortuus est; et sepultus est sepultura regum iustorum. Regnavit autem annos 33. Is primus christianus regnavit inter Romanos.

Delevit consuetudines multas paganismi inter eos, et aras evertit et idola dextruxit. Eorum thesauros in aerarium intulit. Doctrinas erroneas persecutus est, et *synagogas earum evertit, et istarum *p. 132. thesauros dedit ecclesiis. Et unanimi consensu cum filiis suis fidem ecclesiae catholicae professus est, et aequam dedit adorationem sanctae Trinitati coram universa Synodo dominorum episcoporum.

Steterunt autem et potiti sunt imperio Romanorum Constantinus et Constantius et Constans, *tres* eius filii, anno 649°.

Eodem anno, Persae ascenderunt in Nisibin, quae obsidione magna pressa est per 30 dies, eo tempore quo mortuus est Mar Iacobus episcopus ipsius Nisibis.

Et mortuus est Constantinus, et *etiam* Constans; et universo imperio potitus est Constantius eorum frater. Qui Gallum Caesarem constituit ut secum regeret imperium : et paullo post eum interfecit, huiusque loco constituit Iulianum eius fratrem. Bellum gessit Iulianus adversus Gothos eosque vicit, et rebellavit adversus Constantium regnavitque in Hispania et Gallia. In eum se paravit ad bellum Constantius; cum autem adscenderet ex Oriente ad praelium cum eo ineundum, recubuit in lecto quietis suae et mortuus est anno 673°, mense tešrī posteriore. Regnavit autem Constantius annos 24.

Fuit autem diebus familiae Constantii episcopus Constantinopoli Alexander; cuius diebus exciderunt viscera Arii. Post eum Eusebius Nicomediae, e sede sua recedens, hac sede potitus est, et rursum Antiochiam profectus est, unde Eudoxius eum expulit. Ambo autem ariani fuerunt. Post eos fuit episcopus Constantinopoli Flavianus : et martyrium passus est; et post hunc Macedonius impius.

Et mortuus est Constantius anno *673°, mense tešrī posteriore; *p. 133. regnavit autem annos 24. Et fecit pulchrum coram Domino, et ambulavit in viis Constantini patris sui. Id est arianus fuit[1]. Et potitus est regno eius post eum Iulianus; cum iam per annos 52 pax ecclesiarum exstitisset.

Et anno 52° pacis ecclesiis *concessae*, stetit in universum impe-

[1] Glossema esse videtur haec sententia.

rium Romanorum Iulianus, et renovavit persecutionem adversus Christianos, iussitque templa idolorum aperiri et aras eorum reaedificari et idola restitui eorumque ministerium instaurari. Astulit ecclesiarum thesauros; et mandavit constitui synagogas falsarum doctrinarum, misitque episcopos in exilium e sedibus eorum.

Et anno 674°, descendit Iulianus impurus in terram Chaldaeorum, in *regionem* Bēt Aramayē *dictam*, ubi eius ruina accidit per manus Romanorum.

Eodem tempore, iratus est Dominus adversus civitates paganorum et Iudaeorum et Samaritanorum et falsarum doctrinarum in regione australi, quae se participes effecerant insaniae Iuliani pagani. Et processit furor a Domino coepitque in ruinas dare civitates immundas et paganas super earum incolas, quia eas polluerant sanguine quem iniuste in eis effuderunt; et coepit destruere civitates XXI quaram aliae eversae sunt, aliae ruerunt, aliae substiterunt, mense īyār anni 674ⁱ.

Et die 27ª huius mensis, occisus est Iulianus.

Mense ḥazīran anni 674ⁱ, die Veneris ad ripam fluminis magni Tigridis, ad latus boreale Kaukabā[1] et Ctesiphontis, in regione dicta Bēt Aramayē[2], cinxit Iovinianus coronam magnam

* p. 134. imperii Romanorum, et ipse fecit pacem et concordiam, *et hostilitates sedavit inter utrumque regnum validum Romanorum et Persarum. Ut autem esset pax inter eos et liberaret Romanos ex angustia qua premebantur dedit Persis universam regionem ad orientem Nisibis, quosdam e pagis quibus circumdatur *civitas*, et Armeniam universam cum locis pertinentibus ad ipsam Armeniam[3]. Et exulavit Nisibis, mense āb anni 674ⁱ, in regionem Edessenorum; et tradita est Persis Nisibis vacua quidem incolis suis.

Credidit Iovinianus in Dominum ex toto corde suo, et coeperat facere bonum et pulchrum coram Domino, et ambulare in viis Davidis et in fide Ezechiae et in operibus Iosiae; et requiem ei dedit Dominus, ut merebatur, gratiamque ei retribuit bonorum eius operum. Inceperat agere et ipse, volens sibi comparare nomen in aeternum, et tribuere honorem universo populo Dei, Christianis *nempe*; et iussit ut thesaurus ecclesiarum redderetur quem abstulerat

[1] Non Kaukaba sed «Kōkē» ܟܘܟܐ Χωχή, scribi solet nomen antiquum urbis Seleuciae ad Euphraten; cf. tamen p. 106, l. 32. — [2] Ms.: «Armenayē». — [3] ܗܪܡܢ pro ܐܪܡܢ, ut ܗܪܕܢ pro ܐܪܕ″ (cf. p. 137, l. 4), scriptum puto; nisi sit vox corrupta e «Rehimena» (Amm. Marcell., XXV, VII).

Iulianus in insania sua, et a tributo eius liberavit omnes Christianos. Et recubuit in lecto quietis suae mense šebaṭ anni 675[1]; et sepultus est sepultura regum iustorum. Et reliqua eius dicta et opera pulchra : ecce scripta sunt in libro memoriali Domini nostri in diem eius revelationis.

Et surrexerunt in imperio Romanorum Valentinus et Valens, fratres, anno 675°. Et regnare fecit Valentinus Gratianum filium suum in Gallia, et egit bonum et pulchrum coram Domino, et ambulavit in vestigiis Ioviniani fidelis.

Et mortuus est Valentinus, et post eum regnavit Valentinus (II) in Hispania et Gallia. Et excitavit Valens persecutionem in Christianos, et tradidit cor suum doctrinae et schismati Arianorum.

Hoc autem tempore eiecti fuerant in exilium episcopi qui erant *in eius dicione, cum presbyteris, diaconis et clericis[1] qui cum *p. 135. eis persecutionem subierunt; et verbera et ignominiam passi sunt in urbibus. Et postea adscendit Valens in bellum cum Gothis qui adversus eum rebellaverant, atque illic fuit exitium eius.

Eo tempore, misit litteras de reditu, et in urbem suam unusquisque reversus est.

Regnavit autem Valentinus 13 annos, et mortuus est; et mansit Valens, frater eius, post eum duos annos, et mortuus est.

Et regnavit Theodosius in Thracia; et fecit pulchrum coram Domino. Et bellum gessit cum Gothis et vicit eos pacemque ab illis regioni Romanorum constituit. Et magnificavit honoravitque Christianos. Et ambulavit in semitis mandatisque Constantini imperatoris victoris; et persecutus est cunctas haereses, et evertit omnes earum synagogas, quae diebus Iuliani aedificatae erant, et evertit templa omnia idolorum eorumque ministerium abolevit.

Anno 693°, sibi consortem imperii sui fecit Arcadium filium suum.

Et anno 695°, rebellavit Maximinus adversus Gratianum et eum interfecit : regnavit autem Gratianus 17 annos, et fecit quod erat pulchrum coram Domino, sicut Valentinus pater eius.

Et anno 701°, fuit bellum inter Maximinum et Theodosium Valentinumque; et occidit Maximinum sumpsitque eius imperium *Theodosius*.

Hoc tempore misit Theodosius litteras pacis Christianis.

[1] Ad litt. : «et foedus sanctum», forte «monachi».

Et anno 703°, mortuus est Valentinus et regnavit post eum Eugenius[1] duos annos; et hunc occidit Theodosius eiusque imperium *p. 136. sumpsit. Regnavit autem Valentinus 15 *annos; et fecit pulchrum coram Domino, et in vestigiis patris sui ambulavit.

Et anno 15° imperii Theodosii, qui est annus 705us, Honorius ad regnum promotus est, et regnavit anno 10° Arcadii fratris eius. Et steterunt tenueruntque imperium Romanorum Theodosius cum Arcadio et Honorio filiis eius. Et crevit nomen eius valde, et honoratus est in omnibus regnis. Honoravit et magnificavit omnes ecclesias Dei : et Deus quoque eum magnificavit; quocumque se converteret vincebat; et reliqua eius dicta et fortitudo et facta : ecce consignata sunt in libro vitae.

Et fuit eius diebus episcopus Constantinopoli Macedonius arianus. Et congravit synodus CL *episcoporum*, quae eum anathematizavit et loco eius constituit Nectarium. Et rursum, Demophilus Iberus[2] e Thracia, sedem sibi rapuit. Et rursum Gregorius theologus, et post hunc Iohannes Chrysostomus. Et aegrotavit *Theodosius* super lectulum suum et mortuus est anno 706°. Regnavit autem Theodosius annos 17, et mortuus est. Et potiti sunt filii eius imperio.

Et hoc ipso anno, venit populus maledictus Hunnorum in regiones Romanorum et peragrarunt Sophenen, Armeniam, Mesopotamiam, Syriam, Cappadociam ad Galatiam usque; captivos plurimos abduxerunt, et regressi sunt ut reverterent in regionem suam; descenderunt autem ad ripas Euphratis et Tigridis, in dicione Persarum, perveneruntque ad urbem regiam Persarum; nihil damni illic intulerunt sed pagos multos ad Euphratem et Tigrim *sitos* devastarunt, occideruntque et captivos abduxerunt plurimos. Cum autem audiissent Hunni Persas in se progredi fugere statuerunt, et eos persecuti sunt *Persae* et ex eis turmam unam occi- *p. 137. derunt, sumpseruntque *ab eis omnem praedam quam praedati erant, et liberaverunt ab eis homines captivos qui erant numero decem et octo milia, et hos adduxerunt in suas urbes Selok et Kaukaba[3], quae dicuntur Hardašir et Ctesiphon, ubi fuerunt multos annos; adscripsit eis annonas rex Persarum : panem, vinum, siceram oleumque. Ex his 18000 non manserunt nisi pauci[4]..... milliarium unum primum; et dimiserunt eos Persae ut redirent in patriam suam.

[1] Ms. : «Avgbis». — [2] Sic ms.; forte corrigendum «arianus». — [3] Cf. supra p. 104, n. 1. — [4] Quaedam excidisse patet.

Cum autem regnaret Yezdegerd, rex Persarum, rursum remisit ex his captivis in patriam eorum 1330; remanserunt autem in Perside circiter 800 captivi, reliqui omnes mortui sunt lue dysenteriae prae vexatione et angustia quas ab Hunnis exsecrandis passi erant. Haec omnia captivi nobis narrarunt. Christiani quoque et ascetae narrarunt; et iuniores clerici ipsi rettulerunt de benefactis quae captivi sibi facta dixerunt et de eorum gratia erga regem bonum et clementem Yezdegerd, christianum et benedictum inter reges. Sit eius memoria in benedictionem et eius finis praeclarior sit eius initio; qui omnibus diebus suis pulchra fecit erga egenos et miseros.

Rursum, regnaverunt Arcadius et Honorius, filii Theodosii maioris, annos 29.

Eorum diebus fuit episcopus Constantinopoli Iohannes; et post eum Isacius[1]; et post eum Nestorius delendae memoriae. Diebus Iohannis fuit *episcopus* Alexandriae Theophilus, et in Cypro Epiphanius thaumaturgus.

Deinceps in eius imperio stetit Theodosius minor, filius Arcadii; et congregavit synodum CCXX *episcoporum*, *quae excommunicavit * p. 138. Nestorium ab ecclesia; huius loco instituit Atticum; et post eum *fuit* Sisinus[2], et post eum Proclus, et post eum Flavianus haereticus, et post eum Anatolius haereticus.

Post synodum priorem Ephesinam annis decem et novem, coactus est imperator Theodosius alteram synodam Ephesinam convocare propter Flavianum Constantinopolis et Eusebium Dorylaei.

Rursum, diebus eiusdem Theodosii, offenderunt episcopi huius temporis et dixerunt non esse resurrectionem mortuorum; et propter eius patrumque eius praeclara opera, expergefecit Deus, eius diebus diebusque Marii episcopi Ephesini, octo pueros Ephesinos : Maximinum, Iamlichum, Martelium, Dionysium, Iohannem, Serapionem, Hexacostadianum et Antoninum. Et venit rex Constantinopoli salutem dare pueris; et confirmatus est in *fide* resurrectionis ipse et episcopus. Rediit ad thronum suum et accubuit in lecto quietis suae cum patribus suis.

Et post eum regnavit Marcianus annos septem. Et congregavit synodum Chalcedone. Et professi sunt duas naturas aperte, et turbaverunt ecclesiam Dei.

[1] Ἀρσάκιος. — [2] Ἀττικός et Σισίννιος ante Nestorium sedem tenuerunt.

Hucusque occupaverant (ecclesias) Orthodoxi *viri* per annos 62, a Theodosio maiore ad Theodosium minorem.

Et post Marcianum regnavit Leo, annos 16. Et tunc tenuerunt ecclesias haeretici per annos 23.

Et post Leonem regnavit Zeno, annos 18. Et fecit unionem in ecclesia Dei.

Et post eum *regnavit* Anastasius annos 27. Et tunc tenuerunt ecclesias Orthodoxi per annos 45.

*p. 139. Et deinde *regnavit Iustinianus, piae Theodorae maritus[1]. Is introduxit iterum synodum Chalcedonensem in Ecclesiam.

Eo tempore fuerunt Constantinopoli episcopi unus post alterum: Gennadius, et post eum Acacius, et post eum Flabitas[2], et post eum[3] Anthimus, et post eum Menas xenodocharius[4], haereticus.

Episcopus Romae fuit Iohannes, haereticus; — et Alexandriae: Theodosius; — et Antiochiae : Severus.

Postea regnavit Iustinianus annos 40; et post eum Iustinus, annos 14; — Tiberius, annos 4; — Mauricius, annos 22; — Phocas, annos 8; — Heraclius, annos 30.

Et diebus huius Heraclii, anno 940° Alexandri, mense ḥazīran, noctu terra vehementer tremuit. Et eo anno, *mense* tamūz sibi invicem occurerunt Heraclius imperator Romanorum et Šahrwaraz patricius, in quadam *κλεισοῦρα* in *regione* septentrionali, cui nomen Arabissus Tripotamus, et ibi invicem de pace collocuti sunt. Inter eos sancitum est ut Euphrates sit terminus : et ita mutuo pacem fecerunt. Et aedificaverunt ibi ecclesiam et vocarunt nomen eius Irenen.

NOTITIA ANNORUM QUI NOTANDI SUNT PROPTER RES VARIAS. ET PRIMUM DE TERRAE MOTU QUI ANTIOCHIAE ACCIDIT.

Anno 767° aerae Alexandri, anno 506° aerae Antiochenorum, media nocte, accidit terrae motus et tremor *die* 14[a] *mensis* ēlūl,
*p. 140. sabbato in vigilia dominicae. *Et subito aedificia collisa et eversa sunt et ruerunt in habitatores eorum; et facta est calamitas magna et vehemens, et duae partes civitatis magnae et famosae Antiochiae eversae sunt; et ceciderunt ira divina, et obruerunt habitatores suos tum liberos tum servos, viros et mulieres, pueros et adoles-

[1] Non solum nomina Iustini et Iustiniani sed et personas confundit auctor; cf. p. 115, l. 34; p. 169, l. 2. — [2] Ms. : «Phvlitvs». — [3] Plures omittuntur; sed indocti viri errores corrigere non vacat. — [4] Vox corrupta; dubia interpretatio.

centes, populum sine numero. Qui supererunt, fugerunt et exierunt e medio, et constiterunt omnes in vicinia urbis inter hortos; nemo remansit in ea. Fuerunt autem in metu et tremore, in deprecatione et fletu et dolore maximo, diu noctuque. Deinde, coeperunt mortuos detegere, eruere et sepelire; sed nonnulli victi sunt, cum non possent odorem tolerare qui admodum ingravescebat : per totam enim civitatem putredinis odor exhalabat propter multitudinem cadaverum : foras namque in vicis iacebant. Industria autem Mar Acacii episcopi, et rectoris, viri sapientis, et etiam principum civitatis, iussit[1] *rector* (?) plaustra adduci quae inceperunt *cadavera* trahere et educere; curam habuerunt clerici ut constituerent quosdam qui tus et odoramenta deferrent et procederent ante boves in psalmis et canticis. A *die* 14ª *mensis* ēlūl usque ad ingressum kanūn posterioris, non cessarunt plaustra illa quin cotidie exirent continuo ab aurora ad vesperam.

Rursum, ignis proiiciebatur ab imo qui combureret et consumeret; telas laneas et linteas, et aurum et argentum, et corpora hominum ferarumque simul devorabat et incendebat usque dum emisit Deus pluviam e caelo quae illum exstinxit. Fumus autem magnus seu caligo quasi e fornace ascendebat perpetuo diu noctuque qui etiam *e longinquo adspiciebatur. Et studio beati Mar *p. 141. Acacii episcopi, studio quoque virorum timore Dei repletorum, unusquisque pro arbitio afferebat quidquid volebat de opibus suis, et emebant telas laneas et linteas quibus sepelirentur et involverentur mortui, et celebrabantur exsequiae in psalmis et canticis quantum dabat Deus virtutem et patientiam iis qui supererant in civitate. Et unusquisque sicut voluit constituit sibi thesaurum in caelis, et acquisiverunt vitam et mercedem haud perituram; adeo ut etiam meretrices venderent vestes *pretiosas* et omnia ornamenta sua, et (pretio comparata linteamina)[2] adducerent sepelirentque eis cadavera, participesque se effecerunt operis mirabilis et dolendi quod operatus est Deus diebus nostris. Etiam episcopus Mar Acacius, omnibus diebus, in planctu et dolore et prostratione fuit; nam strato aulaei panno ante altare Dei, se in eum proiiciebat rogans et deprecans Dominum suum ut averteret iram suam a loco et civitate. Explevit circiter triginta dies et complevit in hac paenitentia. Et etiam Deus misericordia motus est placavitque iram suam quae

[1] Locus corruptus; dubia interpretatio. — [2] Locus corruptus. Quaedam exciderunt; coniectando supplevi.

tanta fuerat. Tremor tamen et timor non cessabant ante elapsum annum unum aut duos vel tres. Et curae nobis fuit scribere portentum hoc ut sit etiam exemplo generationibus subsequentibus, quae glorificent Deum propter misericordiam eius erga homines.

Anno 771° aerae Alexandri et anno 507° aerae Antiochenorum, mense ḥazīran, die 19ª huius mensis, vespere, tempore quo dimittitur ecclesia, subito furor a Deo immissus est, et vox quasi rugitus facta est, et terra commota est et quassata est et vacillavit, et etiam * p. 142. eius aedificia concussa sunt et commota et collisa sunt, *et eversa sunt et ruerunt in habitatores. Et fuit terror magnus : et terra emittebat fremitum quasi maris, et homines qui superstites erant in timore et tremore stabant, aedificia et palatia mutuo collidebantur, ligna tectorum eorum fragorem dabant, terror et tremor omnes invadebant, metus et anxietas invalebant, pavor omnes expellebat, iuncturae corporis relaxabantur, corpus ipsum commotione agitabatur ob timorem et terrorem eorum quae videbant, anima in corpore opprimebatur, tenebrae noctis terrebant, calamitas metum iniiciebat. Unusquisque autem fugit et e domo sua exiit, clamans ad Deum ut faciat misericordiam mundo. Ex aedificiis autem altis quasi cedris alia incurvata erant et agitata nunc depressa nunc elata. Et sicut homo qui affligitur et Dei sui iudicis misericordias implorat, ita terra plorabat voce fremitus; et aedificia ululabant fragore collisionis suae, dum eorum habitatores exeunt in fugam. Erant domus altae, pulchrae, ornatae, decoratae, formido earum possessorum : aliae factae sunt sepulchra, aliae terriculum.

Processit virga irae in universam regionem Antiochenorum, temperata tamen Dei castigatione misericordiis. Est pagus qui penitus ruit et *tamen* salvati sunt eius incolae : quod rursum Dei misericordia factum est. Accidit ut rueret pars *tantum domus;* accidit autem ut rueret *domus* in suum *dominum,* in eius filios familiamque et omnes perierunt; fuit autem domus e qua unus vel duo salvati sunt, ut narrarent quid viderint tempore calamitatis et quid acciderit. Duravit autem *motus* circiter tres horas[1], crescens et consistens : unusquisque autem in metu et tremore degens clamore deprecabatur Deum ut secundum misericordiam eius adiuvaret. Et post- * p. 143. quam diu permansit, paulisper quievit, et rursum invaluit. *Et ita

[1] Ms. : «tres annos».

accidit tota nocte usque ad diluculum. Et nobis curae fuit scribere hoc portentum in Dei glorificationem.

Anno 814°, ascendit Cabades in terram Romanorum.

Anno 851°, ascendit Chosroes prima vice.

Anno 853°, ascendit Chosroes secunda vice.

Anno 830°, ascendit Mundar prima vice.

Anno 865°, *mense* ḥazīran, mortuus est Mundar.

Anno 843°, Indus[1] venit, *mense* kanūn.

Anno 854°, fuit pestis prima.

Anno 855°, terra quassata est et urbes submersae sunt.

Anno 873°, *mense* nīsan, fuit lues tumorum.

Anno 881°, fuit perturbatio ob ieiunium in universa Syria. Divisus est populus: alii inceperunt ieiunium die 17ª *mensis* šebaṭ, alii die 24ª : pascham tamen omnis populus simul celebravit. Et feria quinta Ascensionis huius anni proelium iniit Mundar. Et auxiliatus est Dominus Mundaro, et devicit Qabus et crux triumphavit.

Anno sequenti, *mense* tešrī posteriore, quassata est terra et fuit commotio magna : ruit Antiochia universa, paucis exceptis, et cum ea Seleucia et utraque Cilicia[2]. *Id accidit* 58 annis[3] postquam Severus dereliquerat sedem suam.

Centurio qui custodiebat Dominum nostrum in cruce erat Longinus, qui etiam aperuit latus Domini nostri : tandem credidit et martyr mortuus est.

Ordinatus est Severus patriarcha Antiochiae *mense* tesrīn posteriore, indictione Vª, anno 823°. Erat autem Sozopoli, e civitate Pisidiae, filius episcopi huius loci; *is episcopus* unus fuit ex illis qui deposuerunt *Nestorium diebus Theodosii filii Arcadii. Egit autem * p. 144.
in sua sede Severus annos 6, et expulsus est die 29ª *mensis* ēlūl, ind. XIIª, anno 829°. Vixit autem in exilio annos 19, e quibus tres egit Constantinopoli; migravit tandem ex hoc mundo die 8ª *mensis* šebaṭ, ind. Iª, anno 848°. — Eodem anno defunctus est etiam Mar Iohannes Bar Qursus Tellensis, *mense* šebaṭ, die nona.

Et eo tempore erat Mar Iacobus doctor[4]; mortuus est autem anno 830°.

Anno 876°, mortuus est Theodosius patriarcha Alexandriae, *mense* ṭamūz, die 22ª, ind. XIIIª.

[1] Sic ms.; coniect. Land (*Anecd. Syr.*, I, 172) legendum «Hunnus», collato *Chron. Edess.* (supra, p. 12, l. 24). — [2] Sic ms.; locus vix sanus. — [3] Numerus fere certus in ms. Ab ordinatione Severi computavisse videtur auctor. — [4] Sarugensis.

Anno 888°, mortuus est Iacobus episcopus Pesiltae, ind. XI^a^, *mense* tamūz, die 31^a^.

Anno 901°, mortuus est Petrus patriarcha, ind. IX^a^, *mense* nīsan, die 22^a^.

Anno 906°, mortuus est Mar Iulianus patriarcha, *mense* tamūz, *die* 9^a^.

Ordinatus est Mar Athanasius anno 915°, *mense* tešrī posteriore, *die* 6^a^; et mortuus est anno 942°, ind. IV^a^, *mense* tamūz, *die* 28^a^.

Et hoc tempore migravit populus ex oriente Euphratis.

Et anno sequenti, *ind.* V^a^, factus est Mar Iohannes patriarcha.

Et anno 678°, *mense* šebaṭ, die 15^a^, mortuus est Mar Iulianus Saba.

Et anno 684°, mortuus est Mar Ephrem, doctor, mense ḥazīran, die 18^a^.

Et anno 673° erepta est Nisibis e manibus Romanorum a Persis.

*p. 145. * Anno 746°, *mense* āb, *die* 7^a^, mortuus est Mar Rabula episcopus Edessae.

Et anno 730°, constitit Mar Simeon in columnam; et anno 770° mortuus est, mense ēlūl, *die* 2^a^.

Et anno 871°, adscendit Chosroes cum suo exercitu in Antiochiam eamque expugnavit et devastavit eiusque incolas captivos abduxit; et civitates multas devastavit et captivos multos abduxit; et descendit in regionem suam aedificavitque urbem captivis quos Antiochia deduxerat, et ei nomen imposuit Antiochiam-Chosrois[1].

Et rursum, anno 884°, ascendit Chosroes cum exercitu et Daram obsedit. Et misit Mzldrhmn[2] marzbanum suum, qui adscendit Antiochiam usque et incendit Amōs et Bēt (*sacellum*) Mar Iuliani. Et profectus est Seleuciam eamque expugnavit; et progressus est Apameam quae se ultro tradidit ei : sed incendit eam et eius incolas captivos fecit; dein abiit. Cum autem descenderet apud dominum suum expugnavit Daram, captivos incolas fecit, urbem evacuavit et in ea collocavit populum Persarum.

Anno 902°, *ind.* IX^a^, Chosroes (II) adscendit in regionem Romanorum, cum esset adolescens : et exceptus est magno cum honore; et deduxere eum Romani et in thronum eius instituerunt eum.

Anno 910°, *ind.* II^a^, persecutus est Domitianus[3] fideles.

[1] Cf. Proc., *B. P.*, II, xiv. — [2] Nomen corruptum, ut videtur; vir iste appellatus est ܐܕܪܡܢܣ a Joh. Ephes. (vi, 6), Ἀδααρμάνης a script. Byzant. — [3] Episcopus Melitenis; «fideles» id est monophysitas.

Anno 914°, *ind.* VIª, mense āb, die 23ª, trucidarunt Romani Mauricium et eius filios.

Anno 915°, *ind.* VIIª, expugnata est Dara, secunda vice.

*Anno 920°, *ind.* XIIª, fuit nix copiosa in omnibus locis, et frigus vehemens, adeo ut Euphrates totus congelaretur nocte Epiphaniae; et supernatarunt in eo rates glaciei per sex dies, neque scaphae eum traiiciebant, et pisces multi perierunt; arbores olivae ubique arefactae sunt. *p. 146.

Et hoc anno capta est Mardē; eodem quoque anno et Rhesaina capta est *tempore* aestivo.

Anno 921°, capta est Edessa, et Ḥarran, et Callinicum, et Circesium, et omne oppidum quod ad orientem Euphratis supererat. Et illa hieme Euphrates erat terminus.

Et *die* 7ª *mensis* āb eiusdem anni, transiit Šahrwaraz Zenobiam et expugnavit eam : haec civitas prima capta est ad occidentem Euphratis.

Et anno 922°, ingressi sunt Persae Emesam, ubi invenerunt ingentem populum orientalium : et inde remiserunt quemque in regionem suam. — Et eo anno, tempore aestivo, pugnarunt Romani et Persae in aede Mar Thomae Emesae.

Anno 924°, ingressi sunt Persae Damascum.

Et anno 925°, expugnata est Ierusalem.

Et anno 929°, uniti sunt Damiani asseclae.

Et anno 930°, uniti sunt qui parti Cononis et Eugenii addicti erant. — Et eo anno, *mense* ḥazīran, expugnata est Alexandria.

Et anno 940°, egressi sunt Persae Alexandria nec non ex omnibus civitatibus Syriae, mense ḥazīran, mandato Dei non autem per vim humanam.

*Anno 934°, ingressi sunt Sclavi Cretam aliasque insulas; et ibi comprehensi sunt beati e Qennešrē e quibus circiter viginti viri interfecti sunt. *p. 147.

Anno 934°, ingressi sunt Persae Rhodum; ibi strategum comprehenderunt et deduxerunt captivos insulae in Persidem. Et eo anno processit imperator Heraclius e sede sua, deduxit exercitum ingentem et descendit in dicionem Persarum : vastavit regionem et multos captivos abduxit.

Anno 938°, *mense* ēlūl, die 15ª, defecerunt sol et luna.

Et anno 939°, obiit Chosroes, *mense* šebaṭ, qui subegerat universam terram, et regnaverat annos 40.

Et regnavit Šīroy eius filius post eum 7 menses, et eiusdem anni sub finem mortuus est. Et regnavit post eum filius eius cui nomen erat Ardašīr.

Et anno 940°, *mense* ḥazīran, noctu quassata est terra vehementer. Eodem anno, *mense* tamūz convenerunt imperator Romanorum, Heraclius, et Šahrwaraz, patricius Persarum, in quadam κλεισοῦρα[1] regionis septentrionalis, cui nomen Arabissus Tripotamus. Et aedificaverunt ibi ecclesiam et ei nomen dederunt Irenen. Ibi mutuo collocuti sunt de pace, et sancitum est inter eos ut sit Euphrates terminus. Et ita mutuo pacem fecerunt.

Anno 945°, ind. VII^a, *mense* šebaṭ, die 4^a, feria sexta, hora nona, fuit pugna Romanorum cum Arabibus Moḥamedi in Palestina ad orientem Gazae duodecim miliaribus : aufugerunt Romani et dereliquerunt Patricium filium Iardan[2], et hunc occiderunt Arabes. *p. 148. Ibi occisi sunt quasi *quadraginta milia rusticorum pauperum e Palaestina : christiani, iudaei et samaritani. Et vastaverunt Arabes universam regionem.

Et anno 947°, ind. IX^a, invaserunt Arabes universam Syriam, et descenderunt in regionem Persarum eamque subegerunt; et adscenderunt in montem Mardē et trucidarunt Arabes monachos multos in Qedar et in Bnata[3]. Ibi mortuus est beatus Simeon ostiarius *monasterii* Qedar, frater Thomae presbyteri.

Anno 343°, posuit Simeon Cephas fundamenta ecclesiae Antiochiae.

Anno 344°, lapidatus est Stephanus martyr a Iudaeis, Hierosolymis; et anno sequenti praedicare coepit Paulus.

Et anno 375°, occidit Nero, Romae, Paulum et Petrum.

Et anno 376°, devastata sunt Hierosolyma ab Espasiano et a Tito eius filio. Et hoc ipso bello occisus est Iosephus chronographus.

Anno 383°, fuit pestis Romae ita ut *cotidie* perirent mille homines.

Anno 420°, mortuus est Mar Iohannes evangelista.

Anno 415°, excitata est persecutio magna in Christianos a Traiano imperatore scelesto; et martyrium passus est clarissimum Simeon, filius Cleophae, episcopus Hierosolymorum.

[1] Cf. supra, p. 108, l. 22. — [2] Sic intellexisse videtur compilator; perperam sane. — [3] Desunt in cod. puncta pluralis. Monasterium «Ovorum» seu «Filiarum»; cf. Mich. Syr., ed. Chabot, textus, p. 414.

Anno 419°, Traianus Armeniam provinciam fecit. — Et eo anno Ignatius Antiochiae martyrium passus est, qui erat discipulus Iohannis evangelistae.

*Anno 448°, innotuerunt Marcion et Montanus[1] haeresiarchae *p. 149. in Phrygia.

Anno 479°, Bar Daiṣan notus erat, qui doctrinam Valent n propagavit.

Anno 543°, martyrium passi sunt Sergius et Bacchus.

Anno 552°, completi sunt anni mille Romanorum.

Anno 560°, excitata est persecutio in Christianos a Valentino imperatore ariano.

Et anno 563°, vastavit Šabur rex Persarum Syriam et Cappadociam. — Et eo anno Barbari traiecerunt Danubium flumen et devastaverunt insulas.

Et anno 5[6]3°, surrexit Paulus samosatenus.

Et anno 573°, surrexit Mānī seductor.

Et anno 583°, excitavit persecutionem Aurelianus imperator; et eum percussit Deus fulmine : et mortuus est.

Et anno 611°, accidit eversio ecclesiarum a Diocletiano impio : et martyrium passus est Petrus episcopus Alexandriae.

Anno 619°, regnavit Constantinus victor.

Anno 620°, transtulit Constantinus sedem Roma Constantinopolim.

Anno 626°, dedit Constantinus libertatem Christianis; honoravit et magnificavit ecclesias Christi.

Et anno 636°, fuit synodus CCCXVIII episcoporum.

Anno 648°, mortuus est Constantinus magnus.

Anno 670°, primum innotuit Mar Ephrem doctor.

Anno 814°, expugnata est Amida, *mense* kanūn priori, *die* 24ª.

Anno 820°, condita est Dara.

*Anno 824°, rebellavit Armenia, et misit Anastasius imperator *p. 150. exercitum eamque subegit. — Et edidit imperator monetam quadraginta nummorum et viginti, et decem, et quinque.

Anno 830°, persecutionem passi sunt episcopi a Iustino[2], marito Theodorae imperatricis.

Anno 835°, submersa est Edessa.

Anno 840°, adscendit Zuraq, dux exercitus Persarum, in dicionem

[1] Ms. : «Mntis». — [2] Sic ms.; cf. p. 108, n. 1.

Romanorum et dimicavit cum Romanis ad flumen Euphratem : et multi Romani in Euphrate suffocati sunt.

QUIBUS TEMPORIBUS CONGREGATAE SINT SYNODI, ET QUIBUS SUB REGIBUS.

Anno 427°, diebus Hadriani imperatoris, surrexit Sabellius adversus Ecclesiam, post nativitatem Christi annis 117. Et dixit unam personam esse Trinitatem; et corpus sanguinemque quae ab altari sumimus Trinitatis esse. — Et congregati sunt XLIII episcopi Ancyrae Galatiae et excommunicaverunt eum ab Ecclesia.

Et anno 530°, diebus Severi imperatoris, surrexit Paulus samosatenus adversus Ecclesiam, qui erat episcopus Antiochiae. Et appellavit Filium Dei «iustum» quasi unum e iustis antiquis qui fuerunt in mundo. Hic remotus est annis 220 a nativitate Christi. — Et congregati sunt omnes episcopi Antiochiae, Dionysius Romae et Dionysius Alexandriae [1] et Gregorius thaumaturgus, et excommunicaverunt eum ab Ecclesia.

Et anno 640°, diebus Iuliani imperatoris pagani, surrexit Eustathius adversus Ecclesiam; et hic remotus est a nativitate Christi annis 330. Et scandalizati erant clerici qui nec comedebant carnem nec sumebant uxores in clericos *qui comedebant carnem et sumebant uxores : et facta erat divisio in Ecclesia. — Et congregati sunt LXX episcopi in civitate Gangris, et legerunt libros sacros et definiverunt dixeruntque ita : «Ex quo Deus assignavit Aharoni sacerdoti armum dextrum et genas et pectus [2] usque ad ʿElī sacerdotem comedebant carnem sacerdotes Israelis, et nemo scandalizatus est in eis, quia recte et decenter comedebant eam, sicut mandat Deus in prophetis. Cum autem adessent filii ʿElī, qui rapiebant carnem a populo, venit Paulus et vetuit eam, non propter impuritatem sed propter gulam, dicens [3] : In aeternum carnem non manducabo ne offendam fratrem meum.»

*p. 151.

Synodus CCCXVIII *episcoporum* congregata est Nicaeae, diebus Constantini imperatoris primi christiani, anno 636°, *mense* ḥazīran, die 19ª, ind. XIIIª. In ea facta est depositio impii Arii; remota est *haec synodus* a nativitate Christi annis 326. — Erant autem principes huius synodi Silvester Romae, et Alexander magnus Alexandriae, et Eustathius Antiochiae, et Macarius Hierosolymorum. In

[1] Ms. : «Alprna»; vox corrupta, ut videtur. — [2] *Lev.*, VII, 33. — [3] I *Cor.*, VIII, 13.

ea autem aderat et magnus Athanasius, qui adhuc diaconus erat et sicut verus filius sancto Alexandro ministrabat. Aderat quoque et Eusebius[1], episcopus Cordubae, qui et synodo Sardicensi[2] interfuit. Aderant et Eustathius Lyddae, Aitalaha Edessae, Iacobus Nisibis, Antiochus Rhesainae, Eusebius Caesareae Palestinae, Eusebius Nicomediae.

Synodus CL *episcoporum* congregata est diebus imperatoris Theodosii magni, Constantinopoli, anno 691°, *mense* āb, die 10ª. Facta est in ea depositio impii Macedonii *Constantinopolis. Remota est *p. 152. autem a nativitate Christi annis 380, a *synodo* vero Nicaena annis 55. Erant autem principes eius Timotheus Alexandriae, Meletius Antiochiae et Cyrillus Hierosolymae. Pro Macedonio Nectarius institutus est. Aderant autem huic *synodo* etiam Gregorius theologus Nazianzi, Gregorius Nyssae frater Basilii, Amphilochius Iconii, Diodorus Tarsi, Gelasius Caesareae Palestinae, Rufus Baišan (Scythopolis), Acacius Alepi, Eulogius Edessae, Abraham Batnarum, Mara Amidae, Bathes Tellae, Helladius Caesareae Cappadociae, Aetherius Tyanae[3].

Synodus prior Ephesi CCXX *episcoporum*, sub consulatu XIII° Theodosii minoris et III° Valentini, anno 740°. Remota est ab anteriore annis 50, a nativitate autem Christi annis 430. — In hac *synodo* edicta est depositio Nestorii, die 28ª ḥazīran. Erant autem eius primores : Cyrillus Alexandriae, Celestinus Romae per eos quos miserat, Theodotus Ancyrae Galatiae, Succensus Diocaesareae[4], Acacius Melitenes, Valerianus Iconii[5], Memnon[6] ipsius Ephesi, Iuvenalis Hierosolymae.

Synodus altera Ephesi, diebus Theodosii minoris, anno 760°. — Distat autem a nativitate Christi annis 450; ab anteriore *synodo* annis 19; propter Flavianum Cpolis, et propter Eusebium Dorylaei, et propter (synodum quae Cpoli, in causa) Eutychis archimandritae, congregata est; et urgebant hunc Eutychen impium profiteri consubstantiale nobis esse corpus Domini nostri; et confessus erat hoc, quod antea non *profitebatur; et urgebant eum profiteri *p. 153. etiam duas esse naturas in Christo : et cum id renuisset profiteri, eius depositionem decreverunt Flavianus et ceteri qui ibi aderant. Hanc ob causam necesse habuit imperator Theodosius congregare synodum alteram Ephesi. Eius principes erant Dioscorus Alexandriae,

[1] Lege: «Osius». — [2] Ms.: «Saddiqa». — [3] Ms.: «Trvna». — [4] Ms.: «Disqvria». — [5] Ms.: «Mqlvn». — [6] Ms.: «Manos».

Iuvenalis[1] Hierosolymae, Stephanus Ephesi, Eustathius Beryti[2], Amphilochius Sides cum ceteris. Cum autem perlectum fuisset coram eis quod actum fuit in civitate regia, invenerunt Flavianum petivisse ab Eutyche ut duas naturas confiteretur : et Flaviani Eusebiique depositionem decreverunt. Postea deposuerunt etiam Domnum[3] Antiochiae, et [I]renaeum Tyri, et Ibam Edessae, et [A]quilinum Bibli, et Theodoretum Cyrrhi, et Danielem Ḥarran, et Serapionem Tellae et Marim Persam, cum aliis qui sunt numero triginta quinque. Eutychen vero, qui obtulit libellum in quo erat fides CCCXVIII Patrum theophororum et anathematizavit in eo omnia quae ei crimini imposita erant Constantinopoli, receperunt; quod eos prout homines decepit malum in eius anima occultum haeresis atheismi; scriptum est enim[4] : «Homo oculos intuetur. Deus autem intuetur cor.»

Synodus autem Chalcedonensis congregata est diebus Marciani imperatoris, in ea erant DCCLXV *episcopi;* distat vero ab anteriore tribus annis, a nativitate autem Christi annis 453; congregata est ipsa anno 763°. — Erant autem principes eius : Leo Romae
*p. 154. et Anatolius Constantinopolis * et Maximus Antiochiae, et Iuvenalis Hierosolymae, Amphilochius[5] Sides, Ibas Edessae, Theodoretus Cyrrhi, Eusebius Dorylaei, Basilius Seleuciae Isauriae, Seleucus Amasiae[6], qui postquam adfuerunt cum Flaviano Constantinopoli depositioni Eutychis adhaeserunt, cum vidissent Flavianum condemnatum, se converterunt et libellum obtulerunt synodo alteri ephesinae, et opinionem illam reprobarunt et recepti sunt ibi. Et rursum, cum venissent Chalcedonem et vidissent omnia agi adversus synodum alteram Ephesi et in eius destructionem, iterum ad vomitum redierunt priorem, et retractaverunt quidquid fecerant in altera ephesina synodo, dicentes : «Non voluntarie sed coactione haec fecimus.» Est autem sententia quam statuerunt Constantinopoli depositio Eutychis, et duas naturas in Christo confitendas esse : quae damnata est in synodo altera ephesina. Cum autem congregati essent Chalcedone, post quam fecerunt depositionem sancti confessoris magni Dioscori, rogati sunt a principibus et a senatoribus qui cum eis, ut statuerent definitionem fidei : illi autem exclamabant dicentes : «Non licet nobis hoc facere; nec audemus, nec appetimus, quia exstat canon

[1] Ms. : «Ivbilinos». — [2] Ms. : «Bostris». — [3] Ms. : «Dvmivs». — [4] Cf. I SAM., XVI, 7. — [5] Ms. : «Aniniqos». — [6] Ms. : «Dmsia».

qui prohibet nos hoc agere.» Cum autem pluries hoc dixissent neque annuissent eis principes, coacti sunt ipsi principibus morem gerere, et transgressi sunt propria anathemata. Tricies et quinquies enim iuraverant se non dicturos esse duas naturas in Christo post unionem. — Finis.

* MEMORIALE VITAE MOHAMMETI LEGATI DEI *p. 156.

postquam ingressus est urbem suam et antequam ingrederetur per tres menses ex anno primo ipsius; et quamdiu vixerint singuli reges qui post eum steterunt super Hagarenos, postquam regnum adepti sunt, et quamdiu fuerit tumultus inter eos.

Tres menses antequam veniret Moḥammed.
Et vixit Moḥammed annos decem.
Et Abu Bekr filius Abu Qōḥafa, annos 2 et menses 6.
Et ʿOmar filius Kaṭṭāb, annos 10 et menses 3.
Et ʿOtman filius ʿAffan, annos 12.
Et tumultus post ʿOtman, annos 5 et menses 4.
Et Moʿawia, filius Abu Saifan, annos 19 et menses 2.
Et Yezīd filius Moʿawiae, annos 3 et menses 8.
Et tumultus post Yezīd, menses 9.
Et Marwan filius Ḥakam, menses 9.
Et ʿAbd al-Malik filius Marwan, annos 21 et mensem unum.
Walīd filius ʿAbd al-Malik, annos 9 et menses 8.
Et Soleiman filius ʿAbd al-Malik, annos 2 et menses 9.
Et ʿOmar filius ʿAbd al-ʿAzīz, annos 2 et menses 5.
Et Yezīd filius ʿAbd al-Malik, annos 4 et mensem unum et dies 2.
Colliguntur universi anni centum quattuor et menses quinque et dies duae.

IV

CHRONICON

AD ANNUM DOMINI 846 PERTINENS

EDIDIT E.-W. BROOKS

INTERPRETATUS EST I.-B. CHABOT.

Id Chronicon ad consecrationem Iohannis patriarchae Iacobitarum anno 846 factam pertinet, unde videtur eo ecclesiam gubernante (846-873) completum esse; sed, cum inde ab anno 795 multo brevior sit narratio, verisimile est opus eo tempore compositum, postea ad ann. 846 continuatum esse. Auctorem monachum Qartaminensem fuisse e variis notulis (vide textum p. 207, l. 22-26; p. 235, l. 22, 23; p. 236, l. 26) coniectare licet.

Inter fontes recensenda sunt Liber I Machabaeorum, Iosephus, Eusebius, Scripta Edessena a Cureton edita, Doctrina Addaei, Vitae Prophetarum Epiphanio adscriptae, Socrates, Chronicon Edessenum, Iohannes Ephesinus, Historia Zachariae Rhetori falso adscripta, auctor quo usi sunt Theophanes et Michael, et Acta quaedam sanctorum.

Asservatur Chronicon in Codice Mus. Brit. Add. 14, 642, f. 1-36 r°, 40, 41; f. 40 post f. 31 ponendum est, et f. 41 cum f. 22 conjungendum. Codex palimpsestos est, et secundum Wright priore parte saeculi x[i] rescriptus. Lacunas habet multas et longas.

Ultimam partem chronici ego ipse, anno 1897, cum interpretatione anglica et commentario edidi; excerpta quaedam cum interpretatione gallica a Nau vulgata sunt. Textus integer nunc primum editur.

Notitia bibliographica :

Codicis descriptionem legas apud Wright, *Catalogue of the Syriac MSS. in the British Museum,* p. 1041, 1042.

Editiones : E. W. Brooks, *A Syriac Chronicle of the year 846*, (*Zeitsch. d. Deutschen Morgenländischen Gesellschaft*, Bd. LI, p. 569 sqq). Ultima pars cum interpretatione anglica. — Vide etiam Bd. LII, p, 153, 416; Bd. LIII, p. 259, 537; Bd. LIV, p. 104 (adnotationes Sigismundi Fränkel).

F. Nau, *Une Chronique syriaque inédite* (*Revue de l'Orient Chrétien*, 1896, p. 396 sqq.); et *Note inédite sur Philoxène, évêque de Maboug* (*Rev. de l'Or. Chr.*, 1903, p. 630 sqq.). Excerpta cum interpretatione gallica. — Vide etiam *Rev. de l'Or. Chrét.*, 1898, p. 157.

E.-W. B.

* .... *p. 157.

.... appellata[1] est haec regio universa Chananaeorum : ab illis qui .... Gigantes .... Syria de nomine ipsius Syri. Et Cilix filiique eius cum occupassent regionem Mompsisṭiae, etiam [haec terra] ab eius nomine appellata est Cilicia. Tum accidit, sicut invenimus temporum coniunctionem, mors Iacobi, filii Isaaci, filii Abrahami.

Iacobus autem natus *annos* 89 genuit Levi.

Levi natus *annos* 46 genuit Cahat. Et anno 130° Iacobi, qui est *annus* Levi 41us, promissionis autem 215us, Iacobus ingressus est in Aegyptum[2].

Sunt autem ab Adamo usque ad Iacobum viginti duae generationes. Et propterea .... dispositae sunt .... scripturae .... viginti duo signa alphabeti et ...... viginti duo.

Cahat natus 60 *annos* genuit ʿAmram. ʿAmram natus 70 *annos* genuit Mosem. Vaticinatus est autem Moses 40 annos, ante adventum Christi annis 1430; et cum esset natus annos 80, locutus est cum eo Dominus e rubo. Et natus annos 180[3] ....

Hic rursum, ex quo ingressus est Iacobus in Aegyptum ad annum 80um Mosis *sunt* anni 215; ex promissione quae facta est anno septuagesimo quinto Abrahami ad exodum *ex Aegypto sunt anni *p. 158.
430; quod ita notum fit : a promissione usque dum ingressi sunt in Aegyptum : 215, et ab ingressu usque dum exierunt : 215. A nativitate vero Abrahami ad exodum *sunt* 505 anni. Hic congruunt varii expositores inter se[4].

A diluvio autem ad exodum : 1586 *anni*, et ab Adamo 3842. Haec secundum Septuaginta. Secundum autem Syros : a diluvio ad exodum : 836 *anni*, ab Adamo autem 2492.

Moses rexit principatum Israelis 40 annos. Post eum Iosue filius Nun, 27 *annos*. — Seniores : 10. — Kūšan impius : 8. — ʿOthoniel : 40. — ʿEglōn : 8. — Ahōr : 80. Et anno 25° Ahōri comple-

[1] Initio desunt tria folia. Sermo est de divisione gentium. Fabulam de Syro et Cilice, filiis Agenoris, lege apud auctores graecos, v. gr. in *Chron. Pasch.*, ed. Ducange, p. 43. — [2] In margine scriptum est : « Accidit autem mors eius anno 51; et mortuus est natus 147 *annos*, cum esset Ioseph natus *annos* 56 ». — [3] Sic textus corruptus. — [4] Hic in margine scripta est vox « Conclusio »; et pariter aliis locis ubi computus annorum instituitur; quod semel notavisse satis est.

tum est millenarium quartum, secundum computum Septuaginta. — Nabīn : 20. — Debora et Baraq : 40. — Madianitae : 7. — Gīdeᶜōn : 40. — Abīmelek : 3. — Thōlaᶜ : 23. — Iāīr : 22. — Ammonitae : 18. — Naphtaḥ : 6. — Abīṣan : 7. — Ailōn : 8. Huius diebus vastatum est Ilium. — ᶜEkron : 10. — Philistaei : 40. — Šimšōn : 20. — Sine iudicibus : 10. — ᶜElī : 40. Anno 31° ᶜElī completum est millenarium tertium, secundum computum Syrorum. — Samuel : 20. Vaticinatus est autem 40 *annos*, ante adventum Dei in carne 1025 annis. Abducta est autem arca Domini a Philistaeis, et postea fuit in domo ᶜAminadabi annos 70, usque ad annum 10um Davidis. — Saul : 40 *annos*.

Colliguntur itaque anni, secundum Chronicon Eusebii, ab exodo filiorum Israel usque ad Samuelem prophetam et Saulem regem primum Israelitarum : anni 517.

*p. 159. *Anno autem 10° Saulis genitus est David Iešaio e Naḥaš.

Et anno 23° Saulis unctus est David.

Colliguntur autem anni ab exodo ad Davidem 500, secundum Septuaginta.

Et anno 35° Saulis mortuus est Samuel.

David autem regnavit 40 annos. Vaticinatus est 40 *annos*, ante incarnationem *annis* 995. Tunc erant prophetae diebus Davidis : Gad et Nathan — erat Nathan e Gabaᶜon, et mortuus est et sepultus est in Gabaᶜon — et Asaph; et *summus* sacerdos *erat* Aḥimelek.

Et anno 10° sui regni, cum requiesceret a persecutione domus Saulis, constituit in pagis sacerdotes et ursit eos ut orarent mane et vespere, nam ad eius tempus usque non erant in pagis synagogae ad orandum, sed tantum Hierosolymis orationes et sacrificia consecrabantur.

Hisce temporibus, regnabat Tyri Ḥīram; qui dicitur vixisse 500 annos, a diebus Davidis usque ad Ṣedeciam : et hunc Nebukadnaṣār occidit.

Salomon : 40 *annos*. — Anno 4° sui regni coepit aedificare templum Domino.

Colliguntur anni ab exodo ex Aegypto ad annum 4um Salomonis : 617 anni, secundum Andronicum, et secundum Eusebium 480. — Universi anni ab Adamo ad aedificationem Templi, secundum Eusebium : 4169, secundum Andronicum : 4452. Et ab exodo ex Aegypto usque ad annum 4um Salomonis regis : 610 *anni* secundum veram computationem.

Sacerdos autem temporibus Salomonis *fuit* Ṣadoq, octavus post Aharonem.

*Et post mortem Salomonis fuit seditio et divisum est regnum *p. 160.
Iudaeorum in duas partes: super undecim tribus regnavit Ierobeʿam filius Nabaṭ, et constitutum est eius regnum Samariae; et super tribum unam Iudae regnavit Rehabeʿam, filius Salomonis, Hierosolymis.

Rehabeʿam : 17 *annos.* — Anno 5° eius, ascendit Šīšaq, rex Aegypti, in Hierosolyma.

Tunc vaticinatus est Šemaʿia, et Aḥia, et ille qui habitabat in Bethel, et ille qui vaticinatus est contra altare. Aḥia autem erat e Šīlō, e civitate ʿElī; et mortuus est et sepultus est in pago suo.

Abia, filius Rehabeʿami, regnavit 3 *annos.* — Propheta eius tempore *fuit* Zadoq[1].

Asa : 41 *annos.* — Sacerdos autem : Aḥīmelek; et prophetae : Iehū et Ḥananī.

Iehošaphaṭ : 25 *annos.* — Tunc vaticinabantur Elias et ʿObadia, ʿOzia et Iehū et Mīka et ʿOziel et Eliʿezer. — Elias autem vaticinatus est 24 annos, ante incarnationem Dei *annis* 886; erat autem e Tišbeʿ, e regione Sabaron[2], e familia Aharonis, et habitabat in Galaʿad. — Et Mīka erat e Morasthim e tribu Ephraimi, et mortuus est et sepultus est in terra sua, in valle filii Hinnōm, in convalle ʿAqīm[3].

Ioram rex regnavit 8 *annos.* — Eius diebus raptus est Elias; et stetit eius loco Eliseus, cum sacerdotio fungeretur Ioiadaʿ. Eliseus autem erat e Maḥala[4] e terra Rubeni. Et mortuus est et sepultus est Samariae.

Aḥazia : *annum* unum. — Tunc exstitit Ionadab filius Rechab.

ʿAtalia : *annos* 7. — Ioāš : *annos* 40.

Tunc vaticinatus est Zakaria * filius Ioiadaeʿ, qui erat ex Hiero- *p. 161.
solymis. Et eum occidit Ioāš; et sepeliverunt eum sacerdotes cum patre eius. — Anno 37° *regis* Ioāš, mortuus est Eliseus, ante incarnationem, *annis* 834.

Amaṣia : 29 *annos.* — Vaticinati sunt tunc, Hoseus et ʿAmos, et Ionan, et Naḥum. — Hoseus erat e Belemoth, e tribu Issachar; et mortuus est in sua regione. — Etiam ʿAmos erat e Tecuʿa; dum vaticinatur percussit eum Amaṣia et occidit. Et sepultus est

[1] In margine : «Iozedeq». — [2] ἐκ γῆς Ἀράβων (Pseudo-Epiph., *Patr. Gr.*, XLIII, 396). — [3] Omnino aliter apud Ps.-Epiph. — [4] Ἀμεμουήλ.

ibi. Vaticinatus est autem 50 *annos*, ante adventum Christi 690 annis. — Et Ionan erat e terra Gadbaḥar [1] e Qariataīm. Et venit habitare in terram Ṣaʿar, et mortuus est, et sepultus est in spelunca Qenezaei. — Naḥum erat e regione ultra Bēt Ṭabarīn[2], e tribu domus Simeonis; et mortuus est, et sepultus est in terra sua.

ʿOzia : 52 *annos*. — Eius diebus vaticinati sunt Isaias et Hoseus; rursum et Ioel et Zacharias filius Barachiae. Vaticinati sunt 112 *annos*, ante Christum 670 annis. — Isaias erat ex Hierosolymis: et eum occidit Manasses, et depositus est sub quercu Rogel[3]. — Ioel erat e tribu Rubeni et regione Bēt Eūbōsan[4]; et mortuus est, et sepultus est ibi. (Zacharias) ..... lapidaverunt eum Iudaei in templo et sepultus est ad .... — Paullo post eos vaticinatus est Habacuc 84 annos, ante Dominum nostrum annis 607.

Et anno 33° ʿOziae adscendit Phūl rex Babylonis in Samariam et obtinuit a Menaḥem mille talenta.

Et anno 50°, adscendit rursum Tiglatpilasar, et in captivitatem abduxit Samariam et Israelem, diebus Peqaḥ, et descendit.

*p. 162. *Iotam : 16 *annos*. — Aḥaz : 16 *annos*.

Anno 8° Aḥaz, condidit Romulus Romam, et in ea regnavit primus, annos 38.

Anno 10° Aḥaz, qui est annus 3us regni Hošeʿae regis Israel, adscendit rursum Salmanʿasar et captivos abduxit Israelitarum decem milia. Stetit autem eorum regnum annos 250.

Ḥezeqia : 29 *annos*. — Vaticinabantur Isaias, Hoseus et Naḥum. Diebus Ḥezeqiae adscendit Sennaḥerīb in Hierosolyma.....

Et anno 27° Ḥezeqiae, exstitit Romae secundus *rex*, Numa Pompilius : 41 annos.

Manasses : 55 *annos*. — Et anno 19° regni eius captivus abductus est in regionem Babylonis ....

....

Qardawayta (?) et aufugerunt in terram Curdaeorum et ibi regnaverunt. Et Saraḥedōm regnavit Babylone loco Sennaḥerīb patris sui.

Manasses quidem captivus abductus est anno 19° eius regni, et ibi *fuit* 6 annos, cum deprecaretur diu noctuque Dominum, reversus est in regnum suum.

[1] Sic ms., corruptis et transpositis litteris, e graeco Γεθ(α)χοβέρ (IV *Reg.*, XIV, 25). — [2] *πέραν τοῦ Βηταϐαρήμ* (*ibid.*, 417). — [3] Ms. «Dogel», prout mos est Syris. — [4] *ἐξ ἀγροῦ Θεϐορῶν*, var.: *ἀγροῦ τοῦ Βεθωρῶν* (*ibid.*, 416).

Anno 42° Manassis, factus est rex tertius, Romae, Tullus Ostilius[1], annos 33.

Et anno 52° Manassis, qui est annus 9[us] Tulli Os[tilii], condita est Byzantia, quae est Constantinopolis.

Amon, filius Manassis : 2 *annos.* — Iošia : 31 *annos.*

Diebus huius *regis* fuit Ḥelcias sacerdos, et Ṣophonias propheta; hic erat ex agro Sabaratha et mortuus est in terra sua; et Ḥuldē prophetissa.

*Et anno 10° Iošiae, Ancius[2] Marcus regnavit Romae, rex IV[us], *p. 163.
annos 24.

Et anno 13° Iošiae, coepit Ieremias vaticinari, qui erat ex Anathoth. Et, Memphi in Aegypto, a populo lapidatus mortuus est, et depositus est in loco ubi habitabat Pharaon; vaticinatus est autem 100 *annos;* ante incarnationem Dei 560 annis.

Iehoaḥaz : menses 3. — Ioiacim : annos 12.

Tunc Baruch, filius Neriae, et Uria, filius Šemaʿiae, vaticinabantur; et occidit Ioiacimus Uriam.

Anno 1° Ioiacimi factus est rex V[us] Tarquinius[3] Romae : *annos* 38. Et hoc anno, regnavit etiam Nebukadnaṣar rex Babylonis; et adscendit in Hierosolyma, et sumpsit thesaurum domus Dñi cum captivis multis. Tunc captivi abducti sunt Daniel et socii eius cum Ioiacimo. Hic autem Ioiacimus erat maritus Šūšanae e qua genuit Salathielem patrem Zorobabelis. Et eum constituit Nebukadnaṣar principem in concives eius quos captivos abduxerat, cum essent Babylone.

Adscendit iterum Nebukadnaṣar adversus Hierosolyma etiam anno sui *regni* septimo, et anno 18°, et anno 23°. Tunc cepit Hierosolyma universamque Iudaeam et captivum abduxit Ṣedeciam, anno 11° eius regni.

Colliguntur a Salomone usque ad captivitatem Babylonis 470 anni. Perstiterunt autem *reges* Iudaeae post captivitatem Samariae annos 130 et menses sex. Universi autem anni eorum regni sunt 478; reges autem *fuerunt* XXII.

Tunc vaticinabatur in captivitate Ezechiel; qui erat *e regione *p. 164.
Sarida[4] e sacerdotibus; et mortuus est in terra Chaldaeorum in captivitate; et sepelivit eum populus in agro Mūār[5], in sepulchro

[1] Vox corrupta in ms. — [2] Ms. : «Acacius». — [3] Ms. : «Hrṭqvnis». — [4] Σαριρά (Ps.-Epiph., *l. cit.*). — [5] Μαούρ (*ibid.*).

Semi et Arphakšari patrum Abrahami. Vaticinatus est autem annos 20, ante adventum Dei in carne : 477 *annis.*

Stetit autem Templum, ex quo conditum est a Salomone usque dum incensum est a rege Babylonis, annos 440. Inde incipiunt anni 70 captivitatis, ab anno 11° Ṣedeciae, qui est *annus* 23us Nebukadnaṣar.

Anno 38° *Captivitatis* regnavit rex VI^{us} Romae, Servius, 44 *annos.*

Nebukadnaṣar regnavit 43 annos; ei successit Evilmerodak filius eius : duos *annos.*

Belṭašaṣar, frater eius : 3 annos. — Tunc vidit Daniel Babylone somnium de ariete et de hirco. Eius temporibus accidit res Susannae et seniorum iniquorum. Cum in hunc Belṭašaṣar praevaluisset Darius eum occidit sumpsitque imperium et regnavit annos 17. — Hic cessavit imperium Babyloniorum quod translatum est ad Medos.

Cyrus : 14 *annos.* — Cambyses qui est Nebukadnaṣar II^{us} : 8 *annos.*

Et anno 3° huius regnavit Romae rex VII^{us} Tarqu[in]us.

Magi : menses 7. — Darius filius Vištaspi : 36 *annos.*

Et anno 2° huius, completi sunt anni 70 Captivitatis. Et anno 6° absolutum est Templum, cum essent duces populi Zorobabel et Iesus, filius Iozedeq, qui constituti erant principes eis a rege cum proclamavit et concessit reditum.

* p. 165. *Colliguntur itaque anni ab Adamo usque ad annum 70um captivitatis : 4840; alii autem scriptores definiverunt ab aedificatione Templi usque ad captivitatem Babylonis annos 440 *elapsos :* fuerunt autem Babylone per annos 70; ab aedificatione igitur usque ad ascensum Captivitatis 510 annos *elapsos*, et ab Adamo usque ad ascensum Captivitatis 4680.

Anno autem 8° Darii, qui reditum permisit, mortuus est Daniel, anno septimo[1] post ascensum. Huic enim adscendere non permisit rex propter suam erga eum dilectionem. Vixit autem Daniel 110 annos; qui ita computantur : cum esset natus annos 15 captivus abductus est cum sua matre, anno 3° Ioacimi filii Iosiae, initio regni Nebukadnaṣari, et usque ad annum 8um Darii *sunt :* 15 *anni* ante suam captivitatem, et 43 *regni* Nebukadnaṣari; et 2 Evilmerodak

[1] Ad litteram : « post annos sex ascensus ».

filii eius; et 2 Nergalasari huius soceri, qui eum occidit; et Beltašaṣari seu Saraci 3; et Darii, qui vocatur Medus in Scriptura, 17, appellatur autem Nabonidus; et 10 Cyri Persae postquam expugnavit Babylonem, et Cambysis filii eius 8; et annus fratrum Magorum qui rebellarunt; et anni 8 Darii : qui fiunt universi anni 110.

Vaticinatus est autem Daniel annos 70, ante manifestationem Dei in carne *annis* 490.

Darius postquam regnavit *annos* 36, accepit regnum eius Aḥšīraš, filius eius, qui propter suas virtutes appellatus est Nebukadnaṣar. Hic est rex Persarum qui devicit Arphakšarum regem Medorum et Aegyptios et Graecos, et incendit Athenas civitatem famosam istorum.

Et eius diebus accidit res stupenda quam egit Iehudith in Olophernem ducem *exercitus quem miserat *rex* ut devastaret terram * p. 166.
Iudaeorum, quod volebat ut sibi venirent auxilio in bello adversus Aegyptios et adversus Arphakšarum.

Sacerdos autem erat hisce temporibus Hierosolymis Eliacim filius Iesu filii Iozedeci.

Post autem Aḥšīraš, qui regnavit annos 20 et cuius regni anno 10° completum est millenarium quintum, regnavit Arṭaban menses 6; et post eum Arṭaḥšišat Longimanus 41 *annos*. Et anno 20° *huius* completum est millenarium quintum, *secundum aliam computationem.*

Arṭaḥšišat : menses 2. — Sogdianus : menses 7. — Darius Nothus : annos 19. — Arṭaḥšišat qui appellabatur Aḥšīraš : 40 *annos*. Huius diebus fuit Esther, filia Amišaīl[1], e tribu Beniamini, quae abducta est in captivitate domus Iechoniae.

Ochus Arṭaḥšīšat : 27 *annos*. — Arses[2] filius Ochi : 4 annos. — Darius, filius Aršak : 6 *annos*. Et anno 6° imperii eius, Alexander Macedonius praelium iniit cum hoc Dario in Cilicia et eum occidit, et potitus est imperio Medorum et Persarum, et impleta est visio Danielis post spatium 236 annorum.

Regnavit autem Alexander *annos* 12, et mortuus est natus *annos* 32.

Colliguntur itaque anni ab Adamo usque ad Alexandrum 5180; et a captivitate Babylonis usque ad Alexandrum regem 244.

[1] Sic ms., in Scripturis : Abihaïl. — [2] Ms. : «Prs»; Ἀρσῆς Ὤχου ἀδελφός (Sync., 487, 6); cf. p. 70, n. 6, 7.

Quando autem mortuus est Alexander occupaverunt quattuor eius servi imperium eius. Ita enim praedictum erat in visione Da-*p. 167. nielis[1]. Philippus, quem nonnulli Antipatrum vocant, *qui et Aridaeus, frater Alexandri Macedoniam *obtinuit;* Antigonus, qui et a nonnullis Demetrius vocatur : Asiam; Ptolemaeus, filius leporis : Aegyptum; Seleucus Nicanor : Syriam.

Ptolemaeus regnavit 40 *annos*. Et post eum steterunt reges Ptolemaei XI, qui sunt hi :

Ptolemaeus Philadelphus, 38 *annos*. Huius anno 7°, et ipsius curis, LXXII Interpretes libros divinos Testamenti interpretati sunt. Eius tempore fuit Bar Asīra.

Deinde Ptolemaeus Euerge[te]s *annos* 26; — Ptolemaeus Philopator : *annos* 17; — Ptolemaeus Epiphanes : *annos* 24; — Ptolemaeus Philometor : *annos* 35. In eum praevaluit Antiochus et Aegyptum spoliavit, 323 *annis* post visionem Danielis; — Ptolemaeus Euergetes : *annos* 29; — Ptolemaeus Soter : *annos* 17; — Ptolemaeus Alexander : *annos* 10; — Ptolemaeus qui fugit : *annos* 8; Ptolemaeus Dionysius : *annos* 30; — Cleopatra : *annos* 22. Et ipso anno 22°, Augusto auctore, occisa est. Et tradita est tunc Aegyptus in manus Romanorum.

Universi autem anni eorum regni 296.

Super Babyloniam et Syriam regnavit Seleucus Nicanor : annos 32. Ab anno primo eius regni incepit aera illa Graecorum, quae hodie adhuc in usu est, duodecim annis post mortem Alexandri[2].

Et anno 13° condita est Edessa. — Et anno 108° Graecorum constitutus est rex Edessae.

*p. 168. *Post autem Seleucum regnavit Antiochus Soter : *annos* 19; — Antiochus Theos : *annos* 15; — Seleucus Callinicus : *annos* 20; — Seleucus Ceraunus : *annos* 3; — Antiochus Magnus : *annos* 36. Eius diebus expugnaverunt Romani Antiochiam Syriae, et adimpleta est visio Danielis de regibus Septentrionis et Austri.

Seleucus Philopator : *annos* 12. Et postea exortum est cornu parvum quod vidit Daniel : Antiochus Epiphanius.

Hic quidem obtinuit imperium anno 134°; anno 143° praevaluit, ut diximus, in Ptolemaeum Philometorem et cepit Aegyptum

[1] Dan., VIII, 21, 22. — [2] In margine scriptum est : « . . .ab ascensu captivitatis et reaedificatione Templi diebus Zorobabelis, anno 2° Darii filii Vištaspi, usque ad hunc Seleucum, qui regnavit super Babylonios et Syros, sunt anni 209 ».

eamque plaga magna percussit. Venit etiam in Hiersolymam et eam vastavit et in ea caedem ingentem commisit, et ab ea abstulit praedam vasaque ministerii domus Domini, et mandavit ducibus copiarum ut universam Iudaeam vastarent. Edictum promulgavit ut quicumque nollet a lege recedere, nec sabbata profanare nec omni impuritate pollui, mortem subiret.

Et anno 145°, *mense* kanūn, die 15ª, aedificaverunt pollutionem desolationis super altare et aedificaverunt aras, in circuitu . . . . Eleazarus senex[1] . . . . Et cum venissent milites regis qui cogebant ad defectionem Mōrᶜaīm[2], congregaverunt universum populum, et exposuerunt eis mandatum regis. Statim unus e viris loci accessit ad aram ut perficeret mandatum regis; et videns Mathathias doluit, et zelo accensus, sicut Phinees, accessit et trucidavit eum super aram; et etiam ipsum ducem regium qui cogebat sacrificare occidit; et clamavit voce magna in civitate dixitque : « Quicumque propensus est in legem patrum veniat post me. » Et fugit ipse cum filiis suis in montem.

* Et congregati sunt apud eum viri fortitudinis propensi in *p. 169. legem, et factus est eis princeps : et congregati sunt et circuiverunt per pagos et civitates, et evertit aras et circumcidit[3] parvulos.

Postquam decertavit[4] Mathathias pro populo suo et lege per tres annos, anno 148°, cum iam moriturus esset constituit sui loco ducem exercitus Iudam Machabaeum filium suum, et praecepit filiis suis et amicis suis ut decertarent pro foedere sancto.

Et praefuit Iudas princeps populo suo; et circuivit et persecutus est impios; et pugnavit cum gentibus, et destruxit copias Antiochi. Et fuit Dominus ei adiutorio; et factus est sicut leo in operibus suis; et ingressus est Hierosolymam in civitatem sanctam, et purgavit eam a pollutione gentium, et sanctificaverunt templum; anno 148°, ipsa die 25ª kanūn, celebraverunt festum dedicationis per octo dies[5]. . . . . misit Bacchidem et Alcimum in terram Iudaeorum, secunda vice, et castrametati sunt ad Masaloth et occupaverunt id *oppidum*.

Anno 152° Graecorum, anno 3° Demetrii, Iudas occisus est, et Iohannes rursum captivus factus est. Et . . . . Ionathan

[1] Desunt 7 versus. — [2] Ita semper Syrus pro vulgato « Modin ». — [3] Vox corrupta in ms.; cf. I Mach., 1, 45 sqq. — [4] Vox incerta in ms. — [5] Desunt 7 versus.

praevaluit fortiter in . . . . in civitates et quocumque se verteret . . . . fuit, et aedificavit . . . . populo suo in laude . . . .

*p. 170. Anno 160°, regnavit Alexander, filius *Antiochi Epiphanis, et expulit e regno Demetrium Soterem.

Anno 165°, regnavit Demetrius filius Demetrii, et occidit Alexandrum et proelium iniit cum Ionathan. Et destruxit Ionathan . . . .

Anno 169°, regnavit Antiochus, filius Alexandri, et Tryphon dux exercitus eius dolo tenuit Ionathan et occidit eum; gubernaverat autem annos 19. Surrexit autem Simeon in summo sacerdotio et in gubernatione loco fratris sui. Tryphon vero necavit Antiochum et cinxit coronam eius postquam regnavit annos 9.

Anno 174° regnavit Antiochus, filius Demetrii, frater Demetrii: et misit Cendebaeum et exercitum numerosum adversus Simeonem; *is* autem vocavit Iohannem filium suum, qui vocatur Hyrcanus, cum eius fratre et misit eum adversus inimicos suos.

Et profectus est Iohannes in Cendebaeum et profligavit eum ingenti caede, et persecutus est eum et universum exercitum eius. Surrexit itaque Simeon cum filiis suis in . . . . et decertaverunt . . . . cum Israel: et liberaverunt populum Iudaeorum a iugo Macedonum . . . . subacti erant . . . . et fecit . . . . Ptolemaeus filius Ḥabobi [1]. .

. . . .

Fuit autem eius loco in principatu super populum et summo sacerdotio Iohannes filius eius. Et cum explevisset annos 33 in gubernatione migravit e vita. Et filius eius natu maior Aristobulus mox *p. 171. cinxit coronam regni annis 475 *post reditum e Babylone. Occidit autem fratrem suum Antigonum et alios vinxit: cum autem regnavisset annum unum male, mortuus est.

Et regnavit Alexander, qui et ipse fecit malum coram Domino et non ambulavit in viis patrum suorum: multos e concivibus suis occidit et perdidit; et postquam regnavit annos 27 reliquit regnum Alexandrae uxori suae: quae valde timebat Deum. Et cum ea rexisset annos 9, reliquit duos filios: Hyrcanum et Aristobulum; et instituit Hyrcanum summum sacerdotem.

Interea cum regnavisset Demetrius annos 4, surrexit post eum

[1] Cf. I Mach., xvi.

Antiochus Agrippas[1] annos 12; et post hunc surrexit Cyzicenus, annos 18, denique Philippus, annos 2. — Tunc cessavit regnum eorum. Summa annorum eorum : 220.

Aristobulus autem volebat esse princeps; qua de causa populus in duas partes scissus est : alii enim Hyrcano adhaerebant, et alii Aristobulo. Post autem magnam perturbationem, sancitum est ut Aristobulus esset princeps, Hyrcanus vero summus sacerdos. Et[2] .... Antipater suasit Hyrcano ut recederent apud Arabes et *inde* adducerent exercitum et pugnarent propter regnum. Noctu sumpsit eum et aufugit apud Aretam regem Arabum. Iam contentio .... hisce duobus fratribus erat. Et cum invalesceret bellum inter eos, accidit ut veniret *Pompeius cum exercitu Romanorum in regionem; Hyrcani asseclae *p. 172. rem eum edocuerunt, et mox celeriter venit in Iudaeam, pugnam iniit cum Aristobulo et .... et evertit murum civitatis.. .... et polluit sanctum sanctorum.

Aristobulum autem spoliatum et principatu et summo sacerdotio vinctum misit Romam, tradiditque sacerdotium et gubernationem Hyrcano eius fratri; et populum Iudaeorum ex inde tributarium Romanorum fecit, et ibi reliquit praesidium Romanorum. Statim .... venerat Pompeius et .... stabant in regimen populi iam a regressu e Babylone usque in id tempus.

Accidit autem ut dum Aristobulus et filii eius ascendunt, vincti quidem, Romam, Alexander filius natu maior Aristobuli fugit et venit in Iudaeam, et collegit exercitum. Paullo post et ipse Aristobulus fugit et se paravit (ad bellum), et rursum devicti sunt, et in manus inciderunt Romanorum secunda vice et Romam missi sunt, et postea ambo mortui sunt.

Antipater autem strenue pro sacerdotio Hyrcani decertabat, et etiam Romanis plurimum in bello auxilium contulerat. Caesar autem, hisce auditis, procuratorem universae Iudeae eum constituit; confirmavit autem Hyrcano summum sacerdotium. Mox vero Antipater filium suum Herodem in Galilaeam constituit, Phasaelem vero instituit ducem exercitus Hierosolymis.

Mater autem Herodis erat ex Arabibus; ille vero erat vir strenuus et victorias......in terra........ fuit; propterea etiam excitati sunt in eum *et accusaverunt eum apud Hyrcanum summum *p. 173.

[1] Sic ms.; lege : «Grypus». — [2] Desunt versus sex.

sacerdotem. Antipatrum autem Malchus rebellis veneno interemit, et . . . .

Antigonus autem unus e filiis Aristobuli Roma effugit, celeriter exercitum congregavit et etiam Parthos mercede conduxit, dolo urbem ingressus est; et Phasaelem fratrem Herodis occiderunt Hyrcanumque summum sacerdotem captivum abduxerunt : rexerat autem annos 34. Ad hunc *virum* usque summi sacerdotes inde a reditu e Babylone secundum legem fuerant. Steterunt autem annos 483, sicut etiam praedixerat Daniel in numero hebdomadarum quem indicavit.

Herodes autem fugit, Romam adscendit, Augustum Caesarem adiit et res istas eum edocuit. Ab eo postulabat ut sibi daret auxilium. Caesar vero eum regem in Iudaeam constituit et misit eum, mandavitque ducibus exercitus ut ei opitularentur. Sossius, dux exercitus Romanorum, mox castrametatus est ad Hierosolyma, proelium iniit cum Antigono, eum devicit vinctumque abduxit et regnum Herodi tradidit.

Anno 275° imperii Graecorum, qui erat annus 16us Cleopatrae, et 8us Augusti Caesaris, regnavit in Iudaeos, primus e gentibus, Herodes qui erat e patre Idumaeus e matre Arabs : et completa est prophetia *scripta* per Mosen dicentem [1] : «Non deficiet dux e Iuda usque dum veniat ille cuius est principatus, quem expectabunt Gentes». Cum autem adeptus esset regnum Herodes summa magnificentia et prosperitate gubernabat, et conditis civitatibus splendidisque aedificiis universam regionem suae dominationis ornavit.

*p. 174. Anno 281° imperii Graecorum, qui est Augusti *Caesaris *annus* 14us et Herodis 7us, expletis a Cleopatra annis 22, imperium Romanorum etiam in Aegyptum sese extendit. Occisa est Cleopatra et cessavit imperium Ptolemaeorum.

Herodes antequam regnaret acceperat uxorem cui nomen Dušia [2] e qua genuit Antipatrum ; quando autem regnavit eam eiusque filium expulit et sumpsit Mariam, filiam Hyrcani qui fuit summus sacerdos [3] . . . .

. . . . poenam, fugit cum uxore sua in Hispaniam. Etiam ante res istas, magna inimicitia erat inter eum et Aretam regem eius socerum, quia cum accepisset Herodiadem iniuriam fecerat priori *uxori* quae erat filia Aretae, regis Petrae [4] : et inde is

[1] *Gen.*, XLIX, 10. — [2] Sic ms.; lege : «Doris», cf. p. 46, n. 1. — [3] Deest folium saltem unum. — [4] Ms. : «Petraya»; forte : Petraeae *Arabiae*.

bellum adversus *Herodem* gessit quia in contemptum venerat filia sua. Cum autem proelium cum eo iniisset periit exercitus Herodis. Et haec ei acciderunt propter dolum *quo usus est* erga Iohannem Baptistam. Rexit autem Herodes annos 24.

Apostoli autem discipuli sancti Salvatoris nostri, post passionem Domini nostri et eius ascensionem, Iacobum, qui vocabatur frater Domini nostri, designarunt ut esset episcopus *Hierosolymae*. Hic autem Iacobus iustus et frater Domini nostri ipse est filius Iosephi frater Iosē, ab eius uxore prima et vetula, et vocabatur iustus propter suam castitatem. Eum autem e summitate templi praecipitarunt Iudaei, et manibus fullonis ligno percussus mortuus est; abu tero enim matris suae optimus fuit, vinum et siceram non bibit neque quidquam quod habet in se animam *comedit*.

Hisce temporibus adimpletum est per Thaddaeum[1] quod promiserat Salvator noster* Abgaro : credidit is et familia eius; et mox *p. 175.
misit epistolas ipse Abgarus ad regem Graecorum cum donis et muneribus, postulans ab eo ut ultionem sumeret a Iudaeis; is illi assentiens misit et necavit principes Iudaeorum. Dicit historia Tiberium fuisse ad quem scripsit Abgarus.

Addaeus vero apostolus postquam evangelizavit regionem Edessae et Mesopotamiae, mortuus est in ecclesia quam condiderat Edessae, die 10ª mensis ʾiyar, diebus Gaii imperatoris. Accepit autem post eum sedem summi sacerdotii Aggaeus. Abgarus etiam post Addaeum apostolum defunctus est ipse fidelis : et accepit regnum filius eius. Hic autem valde scelestus fuit; postulabat ab Aggaeo sericario ut sibi faceret vestes sericas sicut patri suo; ille vero non dereliquit ecclesiam nec ei assensit; misit rex frangere eius crura et hac ratione consummationem obtinuit.

Accepit autem manum sacerdotalem ab Aggaeo sericario, discipulo Addaei apostoli, Persis et universa regio Assyriorum, Medorum et Aramaeorum, et universa regio Bēt Huzayē, et universa regio Bēt Gōg et Magōg, et universae regiones quae Babylonem circumiacent usque ad finem Indorum.

Accepit autem sedem post eum Paluṭ, qui presbyter factus fuerat ab Addaeo.

Hisce temporibus fuit persecutio *concitata* in Stephanum protomartyrem, et accepit consummationem martyrii per lapidationem.

[1] Infra : Addaeum; eadem varietas occurrit in documentis Edessenis a Cureton editis.

Et etiam Philippus, unus e septuaginta *discipulis*, in Samariam descendit; et Simon ibi detectus est et poenam Petri ope tulit.

Eis temporibus fuit etiam Philon, sapiens Hebraeorum.

Interea lapidatus est a Iudaeis etiam Iacobus frater Domini nostri, et tandem in caput ligno percussus et mortuus est. Accepit autem ab eo manum sacerdotalem apostolicam Ierusalem et uni-
p. 176. versa regio Palaestinae *et Samaritanorum et Philistaeorum, et regio Arabum et Phoenicia[1] .... Caesarea. Rexit autem annos 30.

Stetit autem post eum eius in loco in episcopatu Hierosolymorum, episcopus II^us, Simeon, filius Cleophae, fratris Iosephi.

Eis temporibus, Pilatus ἡγεμών, qui erat Hierosolymis, angustias vehementes e doloribus passus, cum acerbitatem doloris ferre non valeret se ipsum occidit et propriis manibus sibi poenam qua dignus erat imposuit.

Gaius autem cum regnavisset annos 4, ei successit Claudius Caesar. Hic autem, quia fuit ei adiutor in rebus imperii Agrippas, dedit huic universum regnum patrum suorum, et Herodem, eius fratrem, regem Chalcide constituit.

Tunc fuit persecutio de qua sermo fit in Actis[2]. Et Agrippas caput Iacobi, fratris Iohannis, tum gladio amputavit, et apprehendit etiam Simeonem Cepham; at non se substraxit iustitiae Dei, sed mox attigit eum decretum iustitiae et percussit eum angelus Domini, et consumptus vermibus periit. Vixit autem annos 54, et regnavit diebus Gaii *annos* 4 et diebus Claudii 3. Reliquit tres filias : Berenicen, Mariam et Drusillam, et filium Agrippam puerum parvulum. Berenice fuit uxor Herodis, fratris sui *patris*, regis Chalcidis, Drusilla vero Felicis praesidis. Paullo post mortuus est et ipse Herodes rex Chalcidis; reliquit autem e Berenice duos filios : Berenicum et Hyrcanum, et e Maria Aristobulum. Denique mortuus est etiam Aristobulus frater eorum, filius Aristobuli primi : hic autem nusquam regnavit.

*p. 177. Agrippae autem dedit Claudius *Caesar regnum patrui eius, et addidit ei universam tetrarchiam Philippi et Lysaniae. Hic autem Agrippas, sicut diximus, relictus est puer parvulus a patre suo Agrippa.

Claudius regnavit annos 14. Hunc Claudium olim fecerat Tibe-

[1] Deest una vox. — [2] *Act. Ap.*, XII.

rius vicarium suum, et Romae reliquit eum cum iret ad pugnandum cum Hispanis qui rebellaverant. His autem temporibus Simeon *Petrus* ibi praedicabat; cum vero vidisset Protonice, uxor Claudii, virtutes quas operabatur Simeon, credidit in Christum; et venit Hierosolymam, et venerata est loca sancta Golgotha et Resurrectionis, et requisivit lignum pretiosum Crucis quod ab ea coacti adduxerunt Iudaei; illud accepit et commisit Iacobo qui eo tempore praeses erat in ecclesia fidelium.

Post Claudium regnavit [VI^{us}][1] Nero. Hic autem regem fecit in Armenia minori Aristobulum, filium Herodis regis Chalcidis, fratris Agrippae maioris; regno autem Agrippae minoris, filii Agrippae maioris, addidit quattuor civitates. In Iudaeam vero constituit procuratorem Felicem. Stetit autem Agrippas in regno annos 26.

De Herode autem filio Antipatri Idumaei, amico Hyrcani summi sacerdotis Iudaeorum et de filiis eius; rursum et de successione Machabaeorum hucusque producta, brevi et compendiose notavimus. Non enim historiam cuiuscunque rei instituimus componere, sed memoriale quarumdam rerum quae nobis necessariae visae sunt. Hoc etiam notandum est: prolem Alexandri occisi, fratris Aristobuli, in Armenia maiori regnavisse.

Apostoli *sancti e Palestina in Syriam venerunt evangelizantes *p. 178.
et docentes gentes. Cum autem recepisset populus Antiochiae verbum Domini, constituerunt ibi Apostoli altare, et aedificata est ecclesia primum Antiochiae, et ex inde appellati sunt discipuli «christiani»[2]. Posita sunt fundamenta ecclesiae Antiochiae, a Petro, anno 350° Alexandri, et ab ipso Petro acceperunt verbum vitae Antiochia et universa Syria et Cilicia et Galatia usque ad Pontum.

Hisce temporibus fuit contentio Petrum inter et Simonem. *Petrus* pluries devicit eum et confudit detexitque cuncta artificia magiae eius; et populus qui post eum errabat ad veritatem confugit; etiam Clemens cum suis fratribus tunc crediderunt et Petri discipuli facti sunt.

Petrus vero, populo Antiochiae iam fidem amplexo, Romam progressus est post annos 8; in itinere ad Romam duos annos egit.

[1] Hic numerus non in linea sed supra nomen scriptus est; eadem ratione superscripti sunt numeri regum et episcoporum quoscumque infra invenies uncis inclusos. — [2] In margine scriptum est : «Eis temporibus credidit Paulus et annumeratus est collegio Apostolorum, et coepit praedicare anno 352 (?) Alexandri».

Sui loco reliquit episcopum primum Evodium. Cum autem Romam pervenisset ibi rursum Simonem penitus devicit, et condidit Deus per eum sedem in ecclesia Romana.

Accesserunt autem multi fideles ad Marcum Petri discipulum, cuius meminit in epistula catholica [1], et eum rogarunt ut e praedicatione sui magistri evangelium eis scriberet et relinqueret.

Marcus autem primum praedicavit verbum Dei in Aegypto interiori, in Libya, in Thebaide usque ad fines Indorum (*Aethiopum*); et factus est episcopus Alexandriae per 6 annos, anno 8° Neronis.
*p. 179. Stetit autem post Marcum Alexandriae *episcopus II^{us} Anianus. Inter ea quidem, Paulo praedicante verbum Dei Iconii, Thecla sancta prima martyr credidit; et cum Paulo sedulo circuibat habitu virili, cum comam quidem suam amputavisset, et angustias multas pro veritate perpessa est.

Anno 12° Neronis, Alexandri 375°, Paulus martyrium passus est Romae, Neronis instinctu, *die* 5^a *mensis* tamūz; et eodem anno, testimonium reddidit etiam Petrus qui crucifixus est inverso capite, *die* 28^a kanūn prioris; sed cum multi e fratribus fidelibus mortui essent hac die, egressus est Marcus cum quattuor fratribus noctu, et deposuit Simeonem suum magistrum e cruce, et corpus *etiam* Pauli ibi sumpsit; sed quia nox erat non invenit caput eius. Et quidam discretus Roma exiit mane et collegit corpora et membra martyrum quae dispersa erant, et etiam caput Pauli, et recondidit ea uno loco. Elapso tempore, pastor cui ibidem erat septum ovium sumpsit caput Pauli, quod iacens videbat, illudque reposuit super septum ovium ex alto; et noctu vidit ignem inflammatum supra caput. Verbum cum diffusum esset pervenit ad sanctum Xystum pro hoc tempore episcopum Romae. Clerici quidem dicebant esse caput Pauli; ille vero dixit: «Non decet ut sine probatione corpus peregrinum ad corpora sanctorum reponamus.» Cum autem valde ab eis vexaretur placuit ut deponerent caput ad pedes Apostoli. Vigiliam compleverunt ministerii per noctem, et ad auroram inventum est caput ad partem superiorem *corporis* re-
*p. 180. gressum et adhaerens vertebrae *colli gladio amputatae. Et omnes crediderunt Deumque laudarunt.

Stetit autem Petrus annos 25, et menses 2, et dies 3: praedicavit verbum Dei, postquam adscendit Romam Antiochia propter Simo-

[1] I Petr., v, 13.

nem magum qui ibidem decipiebat, Romae, et in universa Italia, et in Hispania, et in Britannia, et etiam in ceteris locis circumiacentibus.

Stetit autem post eum in ecclesia Romae [II^{us}] Linus, cuius meminit Paulus in epistula ad Timotheum[1] qui fuit episcopus primus Ephesi; Titus autem in Creta, et etiam Dionysius ex Arios pagos Athenis fuit *episcopus*.

Anno autem dicto, nempe anno 375°, cum populus Iudaeorum omnino in rebellionem venisset in eos bellum excitatum est. Missus est in Iudaeam Espasianus dux excercitus cum Tito filio eius. Dum autem obsidunt Hierosolymam mortuus est Nero; regnaverat 12 annos; et regnavit [VII^{us}] Galbas, annum unum. Romani autem qui Hierosolymam obsidebant Espasianum imperatorem renuntiarunt; et statim bellum commisit Tito et Romam adscendit. Titus autem urbem penitus diruit; antequam ea potiretur multi fame perierunt, et etiam mulieres parvulos suos devorarunt. Ut ait quidam e scriptoribus[2] : 110 myriades fame perierunt, 7 *myriades captivorum* captae sunt, reliqui occisi sunt ad 6 circiter *myriades*. — Hisce autem temporibus erat sacerdos et doctor Iudaeorum Iosephus.

Colliguntur autem anni ab anno 15° Tiberii ad annum 2um Espasiani et ruinam completam Hierosolymorum : 42; — *et ab An- *p. 181.
tiocho : 238; — et a Dario : 590; — et a Salomone : 1103.

Postquam regnavit Espasianus annos 10, ei successit [IX^{us}] Titus.

Anno 2° huius imperii, postquam rexit Linus ecclesiam Romae annos 11 et menses 3, ei successit [III^{us}] Anacletus.

Postquam regnavit Titus annos 2, regnavit post eum [X^{us}] Domitianus eius frater.

Anno 4° Domitiani, postquam Anianus Alexandriae explevit annos 22, accepit ecclesiam huius loci [III^{us}] Abilius.

Anno 12° Domitiani, postquam stetit Anacletus annos 12 et mensem unum ei successit [IV^{us}] Clemens, quem notavit Paulus[3] fuisse sibi adiutorem. Huius exstat epistula ad Corinthios magna.

Eo tempore excitavit persecutionem Domitianus in Christianos; et Iohannes evangelista in Patmum relegatus est.

Antiochiae, postquam stetit Evodius 30 annos, [III^{us}] Ignatius

[1] II Tim., iv, 21. — [2] Fl. Ios., *Bell. Iud.*, VI, ix. Numeri hic perturbati; cf. Eus., *Chr.*, ann. 2086. — [3] *Philip.*, iv, 3.

ibidem factus est episcopus; is primus docuit alternis choris psallere in ecclesia.

Postquam regnavit Domitianus annos 15, ei successit [XI^{us}] Nerva filius eius, et is postquam regnavit annum unum, [XII^{us}] Traianus imperio potitus est.

Et anno eius 1°, postquam Abilius Alexandriae stetit annos 13, ei successit [IV^{us}] Cerdon.

Hisce temporibus, fuit Menander magus, discipulus Simonis; et haeresis Ebionitarum qui dicunt Christum e matrimonio natum;
*p. 182. et Cerinthus qui dixit *in terris fore regnum *Christi;* et Nicolaitae impuri.

Anno 3° Traiani, postquam explevit Clemens episcopus Romae 9 annos migravit e saeculo, et suscepit *episcopatum* [V^{us}] Evaristus.

Tunc Simeon[1], filius Cleophae, martyrium passus est postquam fuit in episcopatu annos 42, decem ante ruinam Hierosolymorum et 32 post ruinam, usque ad annum 9um Traiani, duobus annis post mortem Iohannis evangelistae; vixit autem 120 annos, et is solus supererat hoc tempore e tota generatione Apostolorum. Eius loco stetit Hierosolymis [III^{us}] Iustus.

Etiam Ignatius, postquam rexit annos 15, bestiis Romae traditus est. Et eius loco stetit [IV^{us}] Heron[2].

Anno 7°[3], e mundo exiit Iohannes evangelista postquam stetit in episcopatu annos 70; habuit discipulos Ignatium et Polycarpum; protracta est autem vita Iohannis ad annum 7um[3] imperii Traiani. Ei successit Timotheus[4].

Hisce temporibus martyrium passa est sancta Drosis ab ipso Traiano, qui erat eius pater, cum sanctis virginibus eius sociis. — Martyrium autem passi sunt hoc tempore Šarbīl et Bībay, eius soror, a Lysania praeside Edessae civitatis, cum Edessae regnaret rex Abgarus, qui erat nepos Abgari fidelis qui edoctus fuerat ab Addaeo; et tormenta ei inflixit denique sera secuit eum.

Illustris erat hisce temporibus, in Asia, Polycarpus episcopus Smyrnae, qui ab apostolis sanctis ordinationem acceperat. De eo narrat historia : cum apprehendisset eum Traianus iniquus iussit
*p. 183. ut igne cremaretur; sed *flamma rogi in modum fornicis supra caput eius exstitit; denique videns eum non comburi iussit ut

[1] In margine scriptum est : «Is Simeon, filius Cleophae, frater est (*sic*) Iosephi viri adscititie Mariae, et morte crucis necaverunt eum Iudaei». Cf. p. 136, l. 11. — [2] Antiochiae. — [3] Ms. : anno 9°; sed superscriptum est 7°. — [4] Ephesi.

gladio perfoderetur ab uno quaestionariorum, et cum confodisset eum exivit exinde anima eius in speciem columbae et sanguis abundans defluxit e vulnere, qui rogum exstinxit. Et ita consummatus est, [cum rexisset annos 70; martyrium passus est die 23 *mensis* šebaṭ][1].

Illustris autem erat tunc et Papias Hierapolis, et Ephesi Onesimus, et Demas Magnesiae, et Polybius Trallibus.

Anno 12° Traiani, Cerdon Alexandriae exiit e mundo postquam stetit annos 11. Composuit librum de existentia mundi, de sex diebus et de omnibus quae creata sunt a Deo his diebus. Eius loco stetit [V^{us}] Primus[2].

Et hoc tempore, postquam explevit Evaristus Romae annos 8 et menses 10, ei successit [VI^{us}] Alexander.

Hisce temporibus martyrium passus est sanctus Mar Phocas episcopus et martyr, qui est ex agmine apostolico; testimonium autem reddidit *die* 13ª *mensis* tešrīn posterioris in Asphunia[3].

Traianus postquam tenuit imperium annos 20, ei successit [XIII^{us}] Aelius Hadrianus.

Anno 3° Aelii, cum explevisset Alexander Romae annos 10 et menses 7, ei successit [VII^{us}] Xystus.

Et in ecclesia Alexandriae postquam explevit Primus annos 12, ei successit Iustus (VI^{us}.

Episcopi Hierosolymitani[4]) quindecim steterunt e circumcisione qui habebant testimonium bonum, quorum nomina: primus Iacobus, annos 28; II^{us} Simeon [annos 70][5]; — III^{us} Iustus [annos 7]; — IV^{us} Zachaeus [annos 8]; — V^{us} Tobias [annos 3]; — *VI^{us} Beniaminus [annos 3]; — VII^{us} Iohannes [annos 2]; — VIII^{us} Matthaeus [annos 3]; — IX^{us} Philippus [annos 13]; — X^{us} Senecas [annos 3]; — XI^{us} Iustus [annos 2]; — XII^{us} Levi [annos 8]; XIII^{us} Ephrem [annos 3]; — XIV^{us} Iosephus [annos 3]; — XV^{us} Iudas [annos 3].

* p. 184.

Anno 12° Hadriani, Aquila interpres notus erat; hic erat filius soceri imperatoris.

Hisce temporibus, statuerunt Iudaei reaedificare Hierosolyma et templum; cum vero constituisset imperator Aquilam rei curatorem

[1] Uncis inclusa in margina scripta sunt. — [2] Ms.: «Firmvs». — [3] Vox corrupta; restituendum ܣܝܢܘܦܐ, id est Sinope in Ponto (ex *Act. SS.*, 14 iul.). — [4] Quaedam exciderunt: ex Eus., ann. 2135, 2140 sensum supplevi. — [5] Numeri annorum superscripti sunt nominibus episcoporum; hic autem pro 70 forte legendum 3 (?).

et cum vidisset Aquila discipulos Apostolorum prodigia operantes ad christianismum inclinatus est; cum autem accepisset signaculum sanctum nomine tantum christianus fuit, in operibus vero paganismi, auguriis et sortibus conversabatur. Eum admonitum minime vero cessantem arcebant ab Ecclesia, et ex inde transiit ad Hebraeos eorumque doctrina imbutus est. Coepit interpretari perverse quae apud Septuaginta duo recte de Christo dicta erant.

Eo autem anno 12° regni Aelii Hadriani, postquam explevit Romae Xystus annos 10 et menses 2, ei successit [VIII^us] Telesphorus.

Et etiam Antiochiae fuit Cornelius [V^us].

Et post annum, cum explevisset Alexandriae Iustus annos 11, ei successit [VII^us] Eumenes.

Et cum Iudaei, secundum eorum consuetudinem, rebellionem fecissent, Hadrianus penitus diruit eorum civitatem et eius loco aliam condidit quam de suo nomine vocavit Aeliam. — Tunc constitutus est episcopus *Hierosolymae* primus e gentibus: Marcus.

Tunc fuerunt haeretici Saturninus et Basilides.

Hisce temporibus, Ephesi, post Timotheum accepit episcopatum Gaius, et post eum Gaius alius, et post hunc Phygellus (?)
*p. 185. *et post eum[1] . . . . et post eum Apollonius, et rursum Posidos[2] (?).

Postquam autem gubernavit Aelius Hadrianus annos 21 mortuus est, et stetit post eum Antoninus Pius.

Anno huius primo, Telesphorus postquam explevit annos 11, martyrio vitam suam consummavit. Ei successit [IX^us] Hyginos.

Eo tempore fuerunt Valentinus et Cerdon et Marcion[3], *haeretici.*

Cum autem complevisset Hyginos Romae annos 4 et menses 3, ei successit [X^us] Pius.

Et Antiochiae, postquam stetit Cornelius annos 17, impositionem manuum accepit [VI^us] Eros.

Et Alexandriae, postquam complevit Eumenes annos 12, Marcus factus est pastor ecclesiae huius loci; et cum explevisset Marcus annos 14, accepit ministerium [IX^us] Celadion.

Etiam in ecclesia Romae, cum complevisset Pius annos 19 et menses 4, stetit ibi [XI^us] Anicetus.

[1] Deest nomen. — [2] Forte: «Posidonius». — [3] In margine scriptum: «Anno 449 decessit Marcion e mundo».

Hisce temporibus erat Iustinus philosophus, e Neapoli, filius Prisci[1], filii Bacchi, e Neapoli Palestinae. Is fideliter composuit tractatum adversum paganos, et adversum Cerdonem qui a Simone haeresim acceperat; et tractatum alterum adversus haereses huius temporis; et tractatum alterum insignem *nempe* apologiam pro fide Christianorum ad Antoninum Pium Caesarem, filium Aelii Hadriani.

Postquam rexit Antoninus Pius annos 22, [XV^us] Marcus Aurelius et Verus Antoninus Lucius regnaverunt.

Eorum diebus fuit persecutio et multi martyrium passi sunt; inter quos Polycarpus cuius consummatio agonis supra consignata est, qui erat *episcopus Smyrnae, et rexit 70 *annos*[2]; et Iustinus *p. 186. philosophus, et Carpus episcopus e Pergamo, et Papulus[3] diaconus et virgo, iubente proconsule. Et etiam Onesimus discipulus Pauli martyrium passus est, iubente Tertullo[4] qui erat praefectus; dissectis eius cruribus migravit ad Dominum nostrum *die* 15 *mensis* šebaṭ.

Anno 8° Antonini, cum explevisset Anicetus Romae annos 11 et menses 4, ei successit [XII^us] Soter.

Etiam Alexandriae postquam stetit Celadion annos 14, ei successit [X^us] Agrippinus.

Et Antiochiae postquam stetit Eros annos 16, ei successit [VII^us] Theophilus.

Illustris erat, eis temporibus, Dionysius, episcopus Corinthi, et alii.

Postquam stetit Theophilus annos 15, Maximus stetit in ecclesia Antiochiae.

Tunc apparuerunt Tatianus deceptor, et Bar Daiṣan syrus. Hic autem annus erat annus 465us Graecorum.

Hisce temporibus, fuit inundatio Edessae quae perdidit plus quam mille homines.

Cum autem explevisset Soter Romae annos 19 et menses 6, ei successit [XIII^us] Eleutherius.

Anno 17° Antonini, Pōlītīnōs episcopus *civitatis* Ludunā[5], cum

[1] Sic legendum, ex ipsa inscriptione Apologiae maioris. Ms. : «Priscopi». — [2] In dextra margine adnotatum est : «scriptum est in eius historia eum matyrio affectum esse per Traianum»; in sinistra vero : «Et Paulus martyr, et Iuliana eius soror». Prima nota ad Polycarpum spectat, ut videtur; altera omissionem supplet. — [3] Eus., *H. E.*, IV, xv. — [4] Τέρτυλος. *Act. SS.*, 16 febr. — [5] Pothinus Lugduni.

explevisset annos 90, successorem habuit Irenaeum discipulum Polycarpi.

Antoninus autem regnavit annos 19. Ei successit [XVIus] Commodus.

*p. 187. Anno primo eius, cum complevisset *Agrippinus Alexandriae, annos 12, successorem habuit [XIum] Iulianum. — Tunc ibidem illustres erant Pantaenus philosophus et Clemens eius discipulus.

In ecclesia Hierosolymitana, ut diximus, fuit primus episcopus e Gentibus Marcus, annos 3; [IIus] Cassianus, annos 2; [IIIus] Publius annos 3; [IVus] Maximus, annos 2; [Vus] Iulianus, annos 5; [VIus] Gaius, annos 4; [VIIus] Symmachus, annos 3; [VIIIus] Gaianus, annos 3; [IXus] Gaius, annos 4; [Xus] Capiton, annos 6; [XIus] Maximus, annos 4; [XIIus] Antoninus, annos 3; (XIIIus) Valens, annos 7; [XIVus] Dolichianus, annos 4; [XVus] Narcissus, annos 8; huius tempore fuit haeresis Phrygiorum et Montanistarum qui tunc prodierunt; adversum eos Apollinarius hierapolitanus fortiter decertavit, et Apollonius et Miltiades et Irenaeus.

Anno 10° Commodi, cum complevisset Eleutherius Romae annos 13, ei successit [XIVus] Victor.

Hoc tempore, cum complevisset Iulianus Alexandriae annos 10, ei successit [XIIus] Demetrius.

Et in ecclesia Antiochiae, postquam stetit Maximus annos 18, ei successit [IXus] Serapion.

Ecclesiam Caesareae Palestinae regebat Theophilus; et Corinthi *erat* Bacchyllus, et Ephesi Polycrates.

Hoc tempore fuit contentio de Pascha.

Postquam stetit Commodus annos 13, et Pertinax [XVIIus] 6 menses[1], Severus [XVIIIus] regnavit.

Tunc prodiit Artemon.

*p. 188. Postquam stetit Victor Romae annos 10 et menses 6, *ei successit [XVus] Zephyrinus, anno 9° Severi Caesaris.

Et anno 10° Severi, excitata est persecutio, et martyrium passus est Leonidas pater Origenis.

Hisce temporibus, Symmachus samaritanus sapiens notus erat, et sese convertit ad Iudaeos et secunda vice circumcisus est; et interpretatus Scripturas etiam corrupit *eas* propter pravitatem Sama-

[1] Ms. : «20 et menses sex».

ritanorum; eius vestigia premens paullo post Theodotion interpres notus erat.

Postquam autem stetit Severus annos 18, Antoninus filius Severi, qui cognominatur Geta [1], regnavit [XIX^{us}].

Eis temporibus inventi sunt Libri *sacri* recensionis «quintae» in dolio, Hierichunte, ubi latebant cum libris hebraicis aliisque libris [2].

Ephesi post Posidos (?) [3], stetit Onesimus; et post eum Lucius, dein Proclus.

Eo tempore, aliqua de causa, discesserat Narcissus ab ecclesia, et eius loco stetit [XVI^{us}] Dius, et post eum Germanion [XVII^{us}], et post eum [XVIII^{us}] Gordius. Tum, cum repertus fuisset Narcissus, cogebant illum ut regeret ecclesiam; cum autem senex esset secum adsumpsit *coadiutorem* in ecclesia *Hierosolymitana* Alexandrum [XIX^{um}].

Antiochiae, postquam stetit Serapion annos 18, ei successit [X^{us}] Asclepiades, confessor.

Eis temporibus, illustris erat doctrina, post Pantaenum et Clementem, Origenes; et Beryllus Bostrae Arabiae, et Hippolytus.

Postquam stetit in imperio Antoninus annos 8, post eum regnavit [XX^{us}] Macrinus, et, elapso anno uno, rursum (XXI^{us}) alius Antoninus [4] huic successit.

Anno 1° eius regni, Zephyrinus Romae postquam gubernavit annos 18 et menses 7, ei successit [XVI^{us}] Callistus, et hic cum vixisset *annos 5 et menses 2, successorem habuit Romae [XVII^{um}] *p. 189.
Urbanum.

Postquam autem regnavit Antoninus annos 4, factus est *αὐτοκράτωρ* Alexander [XXII^{us}] qui vocatur filius Mammaeae.

Eius temporibus inventa est recensio «sexta» Librorum sanctorum quae latebat in dolio, Nicopoli ad Actium [5].

Colliguntur autem ab Alexandro Magno et primo ad hunc *Alexandrum* usque: anni 532.

Hoc tempore, postquam stetit Asclepiades annos 11, Philetus [XI^{us}] stetit in ecclesia Antiochiae.

Cum autem stetisset [6]. . . . .

. . . .

[1] Ms. : «Gaietos»; lege : «cognom. Caracalla (cum Geta fratre suo)». — [2] C Eus., *H. E.*, VI, xvi. — [3] Cf. supra, p. 142, n. 2. — [4] Elagabalus. — [5] Sic ms.; cf. Eus., *H. E.*, VI, xvi. — [6] Desunt hic folia duo aut tria.

Accepit autem imperium, post Aurelianum [XXXI^{us}] Probus. Cum autem is regnavisset annos 6, Carus [XXXII^{us}] et filii eius, Carinus et Numerianus, susceperunt imperium.

Dionysius autem Romae postquam tenuit episcopatum annos 9 et menses 2, ei successit [XXVI^{us}] Felix.

Hisce temporibus martyrium passa est Stratonice cum Seleuco sponso suo; erant Cyzico e civitate.

Postquam tenuerunt Carus et filii eius imperium duos *annos*, deductum est imperium ad [XXXIII^{um}] Diocletianum; cuius diebus fuit persecutio vehemens, et eversae sunt ecclesiae. Annus primus eius imperii erat annus 610us Alexandri.

Anno 8° eius imperii, martyrium passi sunt Edessae Šamuna et Gurya, confessores.

Eis diebus apprehensus est ab Adriano praefecto vir asceta et
*p. 190. anachoreta Paphnutius e *Ṭanṭarōn [1], et coronatus est optimo martyrio per varia tormenta cum aliis multis qui cum *eo erant*.

[Eis temporibus commoti sunt muri Edessae] [2].

Tunc, in Perside, martyrium passus est Mar Iacobus intercisus.

Hisce temporibus fuit Mānī insanus.

Postquam stetit Felix in ecclesia Romae annos 5 et menses 3, ei successit [XXVII^{us}] Eutychianus, et cum is egisset annum unum, ei successit [XXVIII^{us}] Gaius.

Istorum diebus, cum absolvisset vitam suam Domnus Antiochiae, expletis annis 5 *in episcopatu*, eius loco fuit [XIX^{us}] Timotheus, annos 15, et post eum [XX^{us}] Cyrillus [3].

Et post [XXII^{um}] Hymenaeum, in ecclesia Hierosolymorum [XXIII^{us}] Zabdas accepit ministerium; et cum paullum *temporis* stetisset, ibi constitutus est [XXIV^{us}] Hermōn.

Alexandriae, postquam ministravit Maximus annos 18, ei successit [XVI^{us}] Theonas.

Etiam Romae, postquam stetit Gaius annos 15 et menses 7, ei successit [XXIX^{us}] Marcellinus.

Antiochiae autem, postquam stetit Cyrillus [3] annos 12, stetit [XXI^{us}] Tyrannus.

Et Ephesi, post Theodorum stetit Zoilus, et post eum Linthus, et Solon [4], et Alexander.

[1] Ms. «Ṭīṭrvn», lego: ܛܢܛܪܘܢ; in *Synax. Cpl.*, 25 sept. (ed. Delehaye, p. 79) Γεντυρίας, emendandum Τεντυρίας. — [2] Uncis inclusa in margine scripta sunt. — [3] Ms.: «Qndilvs». — [4] Cf. p. 49, l. 11.

Tunc noti erant doctores Alexandriae Pierius[1] et Achillas presbyteri.

Postquam autem ministravit Theonas annos 19, Petrus martyr [XVII^{us}] rexit *ecclesiam*. Anno 9° persecutionis decoratus est corona martyrii : stetit autem annos 12.

Colliguntur itaque a nativitate Domini nostri usque ad persecutionem anni 305.

Persecutio itaque vehemens et acerba diebus Diocletiani, *Maximiani (*p. 191.) eius collegae, et aliorum coaevorum, facta est usque dum victor Constantinus triumpharet et opprimeret persecutores.

Regnavit autem Constantinus anno 615° Alexandri, adhuc vivente eius patre [XXXIV°] Constantino[2]: *is* autem regnavit annos 12.

Regnavit autem [XXXV^{us}] Constantinus, vivente patre, 3 annos; et post duos annos, mortuus est Maximianus impius, qui regnaverat annos 9; et dein etiam Licinius tyrannus occisus est : regnavit autem annos 17.

In persecutione autem quam excitavit Licinius, post illam quae diebus Diocletiani *saevierat*, martyrium passus est Mar Ḥabīb, diaconus, e pago Tellṣeha, in regione Edessae, quem tandem post varia tormenta igne combussit. Apprehendit etiam Qūnē[3] episcopum Edessae, et Šaʿdut presbyterum, et Aitallaha diaconum, et dum eos vexat, occisus est Licinius. Mandavit autem Constantinus victor ut cessaret persecutio : et tunc liberati sunt.

Cum autem requiesceret paullulum a persecutione, anno 624° Graecorum, posuit Qūnē episcopus fundamenta ecclesiae magnae Edessae, et vitam suam finivit cum nondum absoluta esset; eam autem complevit Šaʿdut episcopus eius successor.

Eis temporibus, sublatis e terra omnibus tyrannis et persecutoribus, universum imperium relictum est digno memoriae iustissimae Constantino, postquam passus est martyrium Petrus episcopus Alexandriae, cuius sanguinis effusio finis fuit persecutionis, sicut ipse deprecatus est et petivit a Domino; steterat autem annos 11; ei successit [XVIII^{us}] Achillas, annum unum; et post eum [XIX^{us}] Alexander.

In ecclesia autem Romae, cum *rexisset Marcellinus annos 17 (*p. 192.) et menses 4, ei successit [XXX^{us}] Eusebius, annos 6 et mensem

[1] Πιέριος (Eus., VII, xxxii). — [2] Intellege «Constantio Chloro»; cf. p. 49, n. 2. — [3] Cf. p. 5, l. 1.

unum; et post eum [XXXI^{us}] Miltiades, annos 4; et post eum [XXXII^{us}] Silvester.

Antiochiae, postquam stetit Tyrannus annos 11, ei successit [XXIII^{us}][1] Vitalis, qui ecclesiam antiquam eversam aedificavit; et postquam stetit annos 6, ei successit [XXIV^{us}] Philogonius; stetit autem annos 5, et postea ordinatus est [XXV^{us}] Eustathius.

Et Hierosolymis, post Hermonem *fuit* [XXV^{us}] Macarius.

Et Edessae, post Saʿdut *fuit* Aitallaha; et primo sui *episcopatus* anno, aedificavit coemeterium et latus orientale ecclesiae.

Eo tempore prodiit Arius qui Filium creaturam dicebat. Erat presbyter in ecclesia Alexandriae. Et anno 20° imperii Constantini congregata est synodus episcoporum cccxviii, anno 636°, Nicaeae, hac de re et etiam propter pascham sanctam. Et ipse imperator cum eis congregationi aderat.

Ibi confessionem perfectam Trinitatis confessi sunt communiter et definiverunt unam esse essentiam Trinitatis : Patris et Filii et Spiritus Sancti. Eiecerunt autem Arium et eius asseclas : Eusebium Nicomediae, Theognidem Nicaeae, Marim Chalcedonis. Negotium etiam de Pascha composuerunt; et cum perfecissent festum victoriae[2], sic soluta est synodus.

Illustres erant in hac synodo cum praedictis episcopis : Iacobus episcopus Nisibis; Alexander Alexandriae; Patrophilus[3] episcopus Constantinopolis, Eustathius Antiochiae, Eusebius Caesareae Pa-
*p. 193. lestinensis, Macarius Hierosolymorum, *Vincentius[4] presbyter romanus locum tenens Silvestri episcopi Romae; cum reliquis.

Colliguntur itaque a nativitate Christi, quae accidit anno 309° Graecorum secundum sententiam Andronici, usque ad annum 20um imperii victoris Constantini, in quo congregata est synodus Nicaena, qui est annus Graecorum 636us : [anni 327, et ab eius Ascensione][5] colliguntur anni 296.

Mox post synodum, Alexander episcopus Alexandriae vitam suam finivit, anno 640° Graecorum, postquam rexit annos 23.

Et anno 649°, mortuus est Mar Iacobus Nisibis.

Et anno 654°, Abraham factus est episcopus Edessae; is aedificavit aedem Confessorum ad septentrionem civitatis.

Eis temporibus aggressi sunt Iudaei reaedificare ruinas et templum,

[1] Sic ms., omisso numero xxii. — [2] Alludit ad vicenalia Constantini. — [3] Ms. : «Bvṭrvn»; cf. p. 149, l. 6, forte corruptum e Μητροφάνης (Eus., *Chr.*, I, App., 80). — [4] Ms. : «Bīqṭvs». — [5] Uncis inclusa desunt in ms.

quin eis concessum fuisset; re autem nota, imperator misit et mandavit aures eis amputare et eos circumducere per loca.

Post mortem Alexandri eius loco stetit in ecclesia Alexandriae Athanasius.

Anno 3° imperii Constantini, constituta est sedes imperii primum Constantinopoli, et ibi stetit episcopus primus Patrophilus.

Et eis temporibus, mater imperatoris, Helena Hierosolymam descendit ut ibi oraret in locis sanctis. Lignum pretiosum Crucis requisivit, quod cum invenisset simul ac clavos et lanceam, misit ad imperatorem. Haec acciderunt cum adhuc in vita maneret Macarius episcopus Hierosolymae.

[Eo tempore, etiam Antonius princeps et primus ascetarum in deserto Aegypti pugnam cum daemonibus agebat][1].

Patrophilus autem Constantinopolis *postquam rexit annos 13, *p. 194.
et *vitam* finivit, ei successit [II^{us}] Alexander; hic etiam adfuit synodo Nicaenae.

Post autem breve tempus, qui opinabantur opinionem Arii omnem lapidem movebant ut Arium in ecclesiam introducerent. Synodum habuerunt Antiochiae et Eustathium deposuerunt : steterat annos 8 : et eius loco instituerunt [XXVI^{um}] Eulalium haereticum, per annum, et postea [XXVII^{um}] Euphronium. Texuerunt rursum varias accusationes in Athanasium : nam persuasum habebant quod non possent cum is esset Alexandriae consilium suum perficere. Magnopere enim decertaverat cum haereticis in synodo cum comitaretur Alexandrum. Tenent itaque synodum Tyri et accusant Athanasium quod «amputavit manum cuiusdam Arsenii», at cum vocassent Athanasium ut corrigeretur, iustitia *divina* movit Arsenium ut veniret Tyrum; et quidem inventus est cum duabus suis manibus : et fraus universa detecta est. Nihilhominus ad aliam calumniam se converterunt dicentes : «Athanasius minatus est arcere frumenta quae secundum consuetudinem mittuntur ex Aegypto Constantinopolim.» Et cum Tyro synodus translata esset Hierosolymam, ibi receperunt Arium et Euzoium diaconum qui cum eo erat, et eiecerunt Athanasium in Galliam. Eiecerunt etiam Marcellum Ancyrae Galatiae; et sententiam synodi imperatori retulerunt, et iussit imperator ut Arius reciperetur.

Tunc Alexander episcopus Constantinopolis in angustia dolo-

[1] Uncis inclusa in margine scripta sunt.

reque magno fuit; se prostravit coram altari sancto, et gemuit acerbo dolore et petiit a Domino ut si opinio Arii praevalitura esset
*p. 195. * ipse ad assignatam diem non perveniret. Neque fefellit eum spes eius : ante enim diem quo recipiendus esset, Arius ingressus locum quendam ad exsolvendam alvum ibi, Domini castigatione, super fimum suum viscera et exentera emisit, et sic mortuus est morte amara.

Imperator Constantinus, expletis annis 31, exiit e mundo et reliquit sui loco tres filios suos : Constantinum, Constantem et Constantium [XXXVI^{um}].

Et in ecclesia Romae, postquam rexit Silvester annos 24 et menses 10, ei successit [XXXIII^{us}] Marcus, annos 2; et fuit pro isto [XXXIV^{us}] Iulius.

Etiam Alexander Constantinopolis, postquam rexit annos 23, mortuus est, natus annos 98; et praecepit ut, si placeret eis, constituerent ei successorem aut Paulum aut Macedonium. Unanimi consensu ordinatus est [III^{us}] Paulus. Re autem nota, imperator Constantius iratus est quod se nescio facta est consecratio Pauli. Iussit ut in silentio[1] maneret *Paulus*, et transtulit Eusebium Nicomediae ad sedem Constantinopolis.

Postquam requievit Macarius episcopus Hierosolymae eius loco creatus est [XXVI^{us}] Maximus.

Tunc, rogante Constantino Constantium, reversus est Athanasius ad suam sedem.

Antiochiae, postquam stetit Euphronius haereticus annos 23, ei successit Placitus[2].

Constantinus autem filius natu maximus Constantini victoris aedificavit Amidam civitatem[3], anno 660° Graecorum, et anno sequenti condita est Tella Mauzelat.

Et anno 667°, Abraham Qīdōnaya notus erat.

*p. 196. Et anno 672°, mortuus est Vologesius episcopus Nisibis; *et etiam Abraham Edessae; et huius in locum venit ex Ḥarran Barses episcopus, iussu imperatoris.

Brevi post mortuus est Constantinus cum regnavisset annos 24[4]. Et qui tenebant opiniones Arii, curis Eusebii, rursum synodum Antiochiae celebrarunt. In ea, secunda vice, Athanasium deposue-

[1] Ad litteram : «iussit ut ad se ipsum sit». — [2] Ms. : «Pvlnīqvs»; cf. p. 102, n. 1. — [3] Quae Constantino II hic adscripsit auctor de Constantio dicenda sunt; cf. p. 101, n. 2. — [4] Item intellege de Constantio.

runt et [XXI^{um}] Gregorium arianum eius loco Alexandriae instituerunt. Non autem venerunt ad hanc synodum neque Maximus Hierosolymorum, neque Iulius Romae, qui nec misit quemquam sui loco.

Mox, post synodum, Eusebius vitam suam finivit, cum stetisset annos 2. — Athanasius et Paulus Romam adscenderunt et Iulium edocuerunt res gestas. Ariani autem Alexandriae Gregorium amoverunt et eius loco [XXII^{um}] Georgium Cappadocem ibi instituerunt.

Iulius vero scriptis munivit Paulum et Athanasium et remisit eos ad civitates eorum. Quod audiens Constantius iratus est, et vi adhibita per milites Paulum expulit et [V^{um}] Macedonium eius loco adduxit. Athanasius autem fugit.

Orientales quidem, in epistula sua, conviciis multis Iulium affecerunt. Tum synodus congregata est in Italia, quae sedes eorum Paulo et Athanasio assignavit; sed neque ita placuit Constantio ut reciperet *eos*. Constans vero cum id audiisset valde ei displicuit, et illi mandavit ut aut reciperet quod statuit de Athanasio et Paulo synodus Italiae, aut acciperet bellum. Et cum his epistulis territus esset imperator Orientis, invitus quidem restituit sedes eorum Athanasio et Paulo.

Paullo post mortuus est imperator Occidentis Constans, et universum imperium ad Constantium devolutum est. Et statim expulsus est Paulus: Athanasius autem fugit.

Post autem Placitum haereticum, *qui stetit annos 4, stetit in ecclesia Antiochiae [XXIV^{us}] Stephanus haereticus, annos 3; et postea [XXV^{us}] Leontius haereticus, annos 5; et post eum rursum [XXVI^{us}] Eudoxius.

*p. 197.

Eis temporibus erat Mar Ephrem; tunc famosus fuit etiam Iulianus senex (*Saba*).

Constantinopoli Macedonius vehementer persequebatur eos qui opinionem Arianorum profiteri renuebant; et plus quam is Georgius Alexandriae.

Tunc prodiit Photinus.

Iulius episcopus Romae postquam rexit annos 15 et menses 2, ei successit [XXXIV^{us}] Liberius.

Tunc prodiit etiam Aetius palaestinensis atheus, qui antea erat diaconus in ecclesia Antiochena. Non autem cessavit tempestas haereticorum vel in regione Italiae, sed et ibi magnae perturbationes exstiterunt. Iussu imperatoris Liberius in exilium missus est, et eius

loco Ariani Philippum[1] constituerunt. Id autem populus romanus non tulit, sed mox Philippum eiecerunt et Liberium, invito imperatore, in proprium locum restituerunt.

Expulsus est etiam Hierosolymis [XXVI^{us}] Maximus et eius loco fuit [XXVII^{us}] Cyrillus. Paullo post celebrarunt synodum Seleuciae et deposuerunt Cyrillum eiusque loco instituerunt [XXVIII^{um}] quendam Adrianum. Deposuerunt quoque Macedonium Constantinopolis et amoverunt Antiochia etiam Eudoxium haereticum, qui sederat ibi annos 3, eumque Constantinopoli instituerunt, et pro Eudoxio Antiochiam adduxerunt [XXVII^{um}] Meletium, episcopum Alepi, qui iam Sebastia Alepum migraverat. Facta autem est
*p. 198. *eius translatio consensu duarum factionum Orthodoxorum et Arianorum. Ea die habuit homiliam in haec verba[2] : «Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua», et canonice et recte locutus adduxit exemplum trium digitorum et unius *manus*, dixitque : «coaequales essentia unum profiteor». Insurrexerunt in eum Ariani et in exilium eum eiecit Constantius. Et Antiochiae constituerunt [XXVIII^{um}] Euzoium. Inde populus divisus est. Cum autem reversus esset Lucifer ab exilio, Orthodoxis creavit episcopum [XXIX^{um}] Paulinum[3], qui eos dirigebat adhuc presbyter.

Hoc tempore, Athanasius latebat.

Hierosolymis, post Hadrianum fuit [XXIX^{us}] Heraclius, dein [XXX^{us}] Hilarius[4], denique Cyrillus reversus est.

Tunc prodiit Apollinarius Laodicensis. Modo dicebat Salvatorem nostrum animam non assumpsisse; modo dicebat animam quidem sumpsisse sed mentem non habuisse.

Etiam Macedonius cum eiectus esset e sede Constantinopolitana haeresim suscitabat; recusabat profiteri Spiritum sanctum consubstantialem Patri et Filio. Imperator Constantius, quem seduxerant quidam ex Arianis, multos ex Orthodoxis persequebatur. Causa omnium malorum fuerat presbyter qui testamentum eius patris ei attulerat. Quando enim moriebatur pater eius, nullus filiorum suorum aderat. Hac de causa fecit testamentum quod commisit cuidam sacerdoti, Eusebio nomine. Hic autem arianus erat. Attulit itaque testamentum Constantio; is cum invenisset scriptum secundum beneplacitum suum magno in honore habuit hunc *presbyterum* hac de causa.

[1] Cf. p. 52. — [2] *Prov.*, VIII, 22. — [3] Ms. : «Flavianum»; cf. p. 52, n. 4. — [4] Ms. : «'Irilivs»; Hilarius, *alias* Helladius. Numeros suo loco restitui.

*Regnavit autem imperator Constantius annos 25 et mortuus [*p. 199.] est. Et regnavit post eum [XXXVII^{us}] Iulianus.

Eius diebus facta est seditio Alexandriae. Populus Alexandriae Georgium apprehendit : super camelum ligaverunt eum, deduxerunt per totam civitatem, et cremaverunt eum camelumque eius. Ariani autem eius loco [XXIII^{um}] Lucium instituerunt; et Athanasius mox ab exilio redux tenuit ecclesiam.

Loco Meletii, Antiochiae *Orthodoxos* regebat Paulinus[1], qui adhuc erat presbyter, Arianos vero Euzoius.

Plures ab exilio reversi sunt; inter quos : Hilarius Pictavorum, Lucifer Caralium[2], Eusebius Vercellarum, Meletius Antiochiae.

Eusebius autem statim Alexandriam profectus est, et ibi cum Athanasio synodum celebravit, et Trinitatem sanctam divine glorificarunt, et eum qui homo factus est non solum carnem sed et animam *assumpsisse* professi sunt.

Meletius autem ab exilio reversus suis asseclis praefuit, et in tres partes scissa erat civitas. Quando autem Iuliani minae Athanasio notae fuerunt rursum fuga sibi providit.

Impius autem Iulianus dedit libertatem paganis, et multi martyrium passi sunt eius diebus; inter quos : Theodoretus[3], presbyter ecclesiae Antiochenae, et Iudas, episcopus Hierosolymorum[4], qui vocabatur Cyriacus et eius mater Ḥanna, et Eugenius, et beatus Macarius[5]; et Cyrillus diaconus, quem inter tormenta iugulaverunt et eruerunt eius iecur idque comederunt pagani : in eos vero excitatus est zelus iustitiae, eorum dentes deciderunt, linguae putrefactae sunt et oculi occaecati sunt.

Et Iudaei cum a Iuliano culparentur, quod sacrificia *neglexissent, [*p. 200.] praetextum ceperunt : «Cum praeceptum sit *nobis* quod extra templum hierosolymitanum non licet sacrificare, concede nobis, si vis ut sacrificemus, ut reaedificemus templum nostrum.» Annuit eis et coeperunt aedificare. Vix fundamenta iecerant, cum ex eis prodiit ignis: et eos qui ibi erant perdebat et aedificia consumebat et destruebat. *Id* cum audivisset Iulianus destitit quin urgeret eos ad aedificandum vel ad sacrificandum.

[1] Ms. : «Flavianum». — [2] Ms. : «Prhlvn». — [3] Alias Theodorus; (cf. Theod., *H. E.*, III, XI). — [4] Acta syriace edidit Guidi, *Rev. de l'Or. chrétien,* 1904, p. 79. Cf. Wright, *Cat. syr. mss.*, p. 1084; *Act. SS.*, maii t. I, 449. — [5] Suspicor primo scriptum fuisse nomen «Marci» Arethusii, de quo Theod., *H. E.*, III, VII, ubi et de Cyrillo fit sermo.

Imperator autem Iulianus in Persidem ivit; volebat enim Persidem sub iugo suae potestatis redigere : et ibi mortuus est. Dicitur autem senem Iulianum cum oravisset ob impietatem Iuliani habuisse revelationem de eius caede in Perside.

Regnavit quidem annos 3, et mortuus est. Post eum regnavit [XXXVIII^us] Iovinianus, menses 8. Annus autem quo mortuus est Iulianus et regnavit Iovinianus erat annus 674us Graecorum.

Athanasius autem iterum rediit e sua fuga, et tenuit ecclesiam mandato Ioviniani.

Cum autem mortuus esset Iovinianus, Valentinianus [XL^us][1] et Valens, frater eius, regnaverunt, anno 675°.

Hic autem Valentinianus qui factus est imperator cum, ingrediente Iuliano templum idolorum, aspergeret sacerdos aqua lustrali[2] eumque attigisset, zelo percussit sacerdotem; videns autem Iulianus quod fecerat iratus est eumque in exilium misit; quando regnavit Iovinianus eum arcessivit, et electus est in imperium cum esset catechumenus[3].

Hisce temporibus Romae erat Liberius; — Alexandriae : Athanasius Orthodoxis et Lucius Arianis; — Antiochiae, Arianis Euzoius; Orthodoxi vero partim cum Meletio partim cum Paulino[4] *p. 201. congregabantur, non enim eiectus erat in exilium * propter venerabilem eius senectutem; — Hierosolymis, Cyrillus; — Constantinopoli autem Eudoxius.

Illustris erat his temporibus Eusebius, episcopus Samosatae ad ripam Euphratis.

Iterum autem Valens Meletium in exilium misit, et Barsen Edessenum, et Eusebium Samosatenum. Deinde discessit Eunomius discipulus Aetii ab Eudoxio, qui postquam Eusebius in exilium profectus est sedem Samosatae occupavit, verum non admiserunt eum *cives* in communionem.

Imperator autem cum vidisset plebem Alexandriae Athanasii causa commoveri, iussit eum ecclesiam occupare.

Postquam Eudoxius ecclesiam Constantinopolitanam occupavit annos 12, pro eo Ariani Demophilum constituerunt, Orthodoxi vero Evagrium; cum autem facta esset seditio, iussit imperator eum qui creatus erat et qui eum fecerat in exilium abire. Porro Evagrius ordinationem ab Eustathio Antiocheno acceperat.

[1] Sic ms. — [2] Ad litt. : «aqua hysopi». — [3] Ad litt. : «audiens». — [4] Ms. : «Flaviano.»

Eis temporibus famam sparserunt Ariani : « Senex Iulianus nobiscum consentit. » Ei autem in desertum Orthodoxi litteras miserunt ut veniret et confunderet eos qui hoc mendaciter de eo professi erant. Et venit Antiochiam confuditque Arianos. Multi quoque per eum ad fidem veram adducti sunt; signa etiam magna operatus est Dominus noster eius manibus. Unum eorum hoc est : Deversabatur in domo mulieris cuiusdam fidelis, cui erat filius septem annorum. Is incidit in puteum. Illa vero non turbata est neque commota est. Cum id novisset *Iulianus* stetit supra puteum, et obtulit orationem Deo; postea in puteum adspexit, et inventus est statim puer in superficie aquae, et eum extraxerunt. *Iterum signum alterum : Cum ambularet per vicos civitatis, vir quidam qui manibus pedum loco ambulabat reptando cum ad latus eius transiret manum extendit et tetigit eius tunicam; et subito pedes eius exsoluti sunt, et rectus ambulavit. Et cum Arianos confudisset reversus est in desertum in regionem Parthorum, in locum qui dicitur Osrhoene[1]; et paullo post e mundo exivit, anno 678° Graecorum. *p. 202.

Eis temporibus, de Antonio quoque Ariani Alexandriae similem rumorem sparserunt; quod cum audivisset venit e deserto *Alexandriam* in diebus Athanasii, cum hactenus Constantinus etiam in vita superstes esset; et confudit Arianos, et confirmavit multos, et operatus est signa magna in civitate; et postea reversus est in desertum.

Postquam Liberius Romae rexit annos 6 et menses 3, ei successit [XXXVus] Felix, et post hunc [XXXVIus] Damasus.

Athanasius quoque cum rexisset ecclesiam Alexandriae 46 annos in pugnis multis et persecutionibus, migravit ad Dominum nostrum. Et fuit pro eo Gregorius haereticus[2], et post eum Georgius iterum haereticus, deinde Petrus discipulus Athanasii. Mox praevaluerunt Ariani et Euzoius Alexandriam ivit; Petrum autem expulerunt, et ecclesiam Lucio tradiderunt; quem nuntiis missis adduxerunt e Samosata, ubi episcopus post Eunomium creatus erat. Tunc multa mala patiebantur ii qui confitebantur verbum « consubstantiale ». Petrus quidem apud Damasum aufugit, quem de causa sua certiorem fecit. Damasus vero munivit eum epistulis quae confirmabant episcopatum eius et remisit eum *Alexandriam*. Populus statim

[1] Cf. Theod., *Philoth.*, II. — [2] Hic scriptum est et postea minio deletum : « cum persecutionem pateretur », *Athanasius* nempe.

*p. 203. Lucium *abegit et Petrum introduxit. Cum autem is annos 7 stetisset, reliquit locum suum Timotheo, fratri suo, et mortuus est.

Hoc tempore noti erant Basilius, episcopus Caesareae in Cappadocia, Petrus Gregoriusque eius fratres; et Gregorius Nazianzenus, et Ambrosius Mediolanensis.

Postea, cum regnavisset Valentinianus annos 12, mortuus est, anno[1] 687°; et regnaverunt post eum Valentinianus et Gratianus eius filii.

Valens quoque cum annos 16 regnavisset in bello mortuus est, a Barbaris igne combustus, statimque proclamatus est imperator Theodosius.

Eis temporibus mortuus est Mār Ephrem, [*die* 9ª *mensis* ḥazīran][2].

Et reversi sunt ab exilio episcopi quos eiecerat Valens; et Orthodoxi ecclesiam Edessae obtinuerunt; et Eulogius fuit in ea episcopus, qui ipse persecutionem passus erat, et eius presbyter fuerat in diebus Barsae. Porro Barses in exilio obiit, et hic Eulogius locum eius obtinuit; et exstruxit templum Mār Domitii, anno 688°.

Theodosius quidem cum regnaret expulit Arianos ab ecclesiis; et ipse aedificavit Rhesaina.

Eusebius autem episcopus Samosatae, cum ab exilio rediisset, creavit episcopos Eulogium Edessae, Protogenemque presbyterum, eius socium, qui in persecutione claruerat, ordinavit in Ḥarran, et Acacium in Alepum; in Dolichen vero creavit Marim, et quod eum multum diligebat, profectus est cum eo ut constitueret eum in throno eius. Porro Ariani multi erant ibi et arma adversus eos tulerunt; cum autem ambularet Eusebius in vico, mulier ariana proiecit in eum laterem e tecto, et ictu gravissimo et validissimo
*p. 204. vulneratus est in capite, *et post paucos dies, dum redit ad civitatem suam, media via e mundo exivit.

Meletius ab exilio redux invenit ibi[3] Paulinum qui senex erat. Sectatores eius operam dabant ut cum Paulino sederet Meletius. Paulinus vero dicebat « contra canones est ut sit mihi collega vir qui ab Arianis suscepit ordinationem ». Quidam autem sanationi providerunt huiusmodi pacto : collegit[4] nomina eorum qui apti erant episcopatui, inter quos erat Flavianus, et ab eis iuramenta obti-

[1] Superscriptus est numerus 8, inde legendum : 688. — [2] Uncis inclusa in margine scripta sunt. — [3] Id est Antiochiae. — [4] Meletius sane.

nuit ne quis eorum ad episcopatum accederet si alter duorum illorum episcoporum moreretur ante collegam suum. Meletius autem humiliter dixit ad Paulinum : « Si vis, misceamus greges, et communiter pascant oves. Si vero sessio throni qui est in medio generat litem, ego sedabo eam : ponemus librum Evangelii sancti, et nos sedebimus ad utrumque latus eius. Si ego prior ad finem vitae pervenero, obtinebis regimen gregis; si vero tu *prior mortuus eris*, ego igitur *regimen obtinebo.* » Paulinus autem non assensit. Stratelates Sapor, iudex huiusce rei factus, ecclesiam tradidit Meletio.

Eo tempore communi consensu multorum episcoporum translatus est Gregorius Nazianzenus Constantinopolim.

Theodosius imperator cum baptismum accepisset Thessalonicae ab Akilio[1], episcopo ecclesiae Orthodoxorum eius loci, mox Constantinopolim advenit et expulit Arianos ab ecclesia postquam annos (40 eam occupaverant)[2].

Sed Gregorius * Constantinopolis residentiam abdicavit et rediit in civitatem suam, postquam stetit ibi annos 12. * p. 205.

His temporibus claruit Iohannes monachus, propheta et videns e Thebaide, etiamque Marcus in monte Anṭaryae[3].

Post paullulum Evagrius monachus in deserto Scetensi ascetam agebat, et pugnam adversus daemones sustinebat; prius discipulus fuerat Gregorii Nazianzeni.

Anno 692°, qui est Theodosii annus 2us, iussu ipsius Theodosii congregata est Constantinopoli synodus episcoporum CL, propter impium Macedonium qui dicebat Spiritum sanctum esse creaturam; in diebus Damasi Romae *episcopi*. Congregati sunt autem ex Alexandria Timotheus, ex Hierosolymis Cyrillus, ex Antiochia Meletius, et Nectarius Constantinopolis. Aderant autem et Gregorius Theologus, et familia Basilii[4], et Akilios[1] Thessalonicae. Confirmaverunt quidem fidem Nicaeae, et dixerunt Spiritum sanctum dominum et vivificantem et consubstantialem Patri et Filio, et anathematizaverunt Macedonium eiusque sectatores; et episcopum creaverunt [VIII^um^] Nectarium; decreveruntque ut sit episcopo Constantinopolis praeeminentia honoris post *episcopum* Romae, quod haec *Constantinopolis* est Roma nova. Decreverunt etiam non *licere*

[1] Ἀσκόλιος (Socr., V, VI). — [2] Locus corruptus in ms.; sed sensus satis patet; cf. Mich. Syr., p. 156. — [3] Mons alias vocatur Tarmaqa; cf. Wright, *Cat.*, p. 782. — [4] Episcopi, ut videtur, supra designati, p. 156, l. 4, fratres s. Basilii.

ut episcopi discedant ab una dioecesi in alteram, aut extra *terminos* suae iurisdictionis administrarent.

Tum Meletius Antiochiae, cum sedisset annos 25, e mundo exivit in ipsa *urbe* Constantinopoli, antequam synodus dissolveretur;
*p. 206. et Gregorius Nyssenus, Basilii frater, *sermonem consolatorium habuit in eius sepultura.

Pro eo *Meletio* creaverunt Flavianum. Paulinus quoque *dux* Eustathianorum mortuus est, et sectatores eius pro eo Evagrium constituerunt. Cum autem is paullum vixisset, pro eo non factus est *episcopus* alius sed omnes Flaviano paruerunt.

Post congregationem synodi anno primo, qui est 693us, mortuus est Eulogius episcopus Edessae, et pro eo fuit Qūrā; et in diebus eius venit corpus Mār Thomae apostoli, et repositum est Edessae in templo.

Colliguntur autem a synodo Nicaeae usque ad eam quae Constantinopoli congregata est anni 59.

Imperator autem Gratianus postquam regnavit annos 15, in bello mortuus est.

Eodem tempore mortuus est etiam Timotheus magnus Alexandriae, cum sedisset annos 7; et fuit pro eo [XXVI^{us}] Theophilus.

Mortuus est paullo post etiam Cyrillus Hierosolymorum, cum sedisset annos 13, et fuit pro eo [XXXI^{us}] Iohannes.

Eis temporibus, imperante Theodosio, consulatu decimo Honorii, sexto Arcadii, inventa est capsa ossium sanctorum Stephani, protomartyris et primogeniti martyrum, et Nicodemi, et Gamalielis et Ḥabibi eius filii, in Kaphar Gamala vico Gamalielis, in Iudaea, ubi sepulti erant. Postquam enim lapidatus est, Stephanus extra Ierusalem proiectus est; Gamaliel autem occasionem nactus noctu praecepit ministris suis ut furarentur corpus sancti deferrentque in vicum Kaphar Gamala. Cum autem Gamaliel quoque mortuus esset, ibi sepultus est, etiamque Nicodemus. Et eo tempore revelatus est et apparuit quasi per somnium ille Gamaliel Luciano presbytero
*p. 207. eiusdem vici, et notum ei fecit *eos ibi sepultos esse imperavitque ei ut *id* manifestaret Iohanni episcopo Hierosolymorum.

Imperatorem autem Valentinianum iuniorem duces exercitus eius strangulaverunt et inventus est, ut fama refert, in palatio Tiberii strangulatus quidem in vigilia Pentecostes. Et cum Theodosius *id* didicisset, bello persecutus est rebelles: traditi sunt in manus eius, eosque interfecit.

Regnavit autem Theodosius annos 17, et mortuus est anno 707°. Filii eius totum imperium Romanorum acceperunt : Arcadius [XLII^{us}] Orientem, Honorius Occidentem.

Eo anno translata sunt ossa Iosephi patriarchae unde sepulta erant, a Sichem, in Constantinopolim, curis imperatorum Honorii et Arcadii.

Eo tempore fuit Diodorus haereticus, quem Meletius Antiochenus consecravit in Tarsum Ciliciae.

Paullo post, Nectarius episcopus Constantinopolis[1] vitam finivit, cum sedisset annos 17. Et fuit pro eo [IX^{us}] Iohannes Chrysostomus, qui erat presbyter in ecclesia Antiochiae. Annus autem consecrationis huius Iohannis est annus 710us. Anno uno et mensibus 10 antea, conditum est monasterium Qartamin, curis Mar Samuelis archimandritae primi et Mar Simeonis, eius discipuli, cui angelus noctu ostendit delineationem et dimensionem eius fundamentorum.

Et anno 711°, Theodorus Mopsuestenus notus erat, haereticus, qui interpretatus est Libros secundum mentem suam perversam.

Etiam his temporibus noti erant *Epiphanius Cypri, et Seve- *p. 208.
rianus Gabalae; etiam ʿApsima[2], filius sororis Mar Ephrem syri, qui sermones metricos de adventu Hunnorum composuit.

Iohannes autem cum pervenisset ad summum sacerdotium magnifice claruit doctrina, per libertatem et confidentiam magnam. Idcirco armata est in eum invidia, et inique expulsus est e sua sede, postquam rexit annos 6; ei successit [X^{us}] Arsacius, frater Nectarii, et postquam stetit annum unum fuit pro eo [XI^{us}] Atticus.

His temporibus Mar Isaac, doctor, discipulus Mar Ephrem notus erat; et habitabat Amidae.

Imperator Arcadius regnavit cum fratre suo annos 14; regnavit post eum [XLIII^{us}] Theodosius, eius filius, adhuc vivente Honorio.

Theophilus Alexandriae mortuus est, cum stetisset annos 38; et pro eo fuit [XXVII^{us}] Cyrillus, anno 721° Graecorum.

Flavianus quoque Antiochiae mortuus est cum stetisset annos 19; et fuit pro eo [XXXI^{us}] Porphyrius, annos 5.

Et eo tempore, anno 723° Graecorum, factus est Mar Rabūla episcopus Edessae; condidit templum Mar Stephani, quod erat synagoga Iudaeorum.

[1] Hic, lacuna unius vocis in ms. — [2] Ita ms., pro consueta forma «ʿAbsamya».

Post autem Porphyrium, stetit [XXXII^{us}] Alexander. Is autem potuit divisionem inter christianos Antiochae post annos 85 componere.

Romae, postquam rexit Damasus annos 15 et menses 3, ei successit Siricius.

Eo tempore fuit inventio corporis Zachariae prophetae, unius
*p. 209. ex duodecim *prophetis *minoribus*; inventum est per revelationem, in regione Eleutheropolis, in templo sub eius nomine consecrato.

Iohannes postquam stetit Hierosolymis annos 22, ei successit [XXXII^{us}] Praylus.

Et Antiochiae postquam rexit Alexander annos 10, pro eo factus est [XXXIII^{us}][1] Theodotus.

Eo tempore clarescebat Mar Simeon stylita.

[Eo tempore e regia aufugerunt Maximus et Domitius, et facti sunt monachi, diebus Macarii magni Aegyptii. . . .][2].

Romae autem, cum rexisset Siricius annos 15, Anastasius providit ecclesiae huius loci annos 3, et post eum [XXXVIII^{us}] Innocentius.

Tunc, imperator Honorius cum regnavisset annos 28 mortuus est, cum bene vixisset in timore Dei. Induebat enim se super carnem suam vestimento quod dicitur mataz[3], et super illud vestimento regio quod ab omnibus videbatur. Mortuus est autem anno 738° Graecorum; et regnavit Valentinianus, filius Placidae sororis Arcadii et Honorii.

Eo tempore, mortuus est etiam Atticus Constantinopolis, postquam rexit annos 20; et fuit pro eo [XII^{us}] Sisinnius, annos 2, cui successit [XIII^{us}] Nestorius haereticus, qui et ipse Antiochiae educatus fuerat.

Romae autem, postquam rexit Innocentius annos 16 et menses 2, fuit pro eo [XXXIX^{us}] Zosimus, annos 2 et menses 3; et post eum stetit [XL^{us}] Bonifacius annos 3 et menses 8; et rursum post eum [XLI^{us}] Celestinus.

Eis temporibus Eutyches archimandrita haereticus prodiit; impie locutus est de incarnatione Christi, anno 732° Graecorum.

*p. 210. *Anno sequenti martyrium passus est in Perside Iacobus intercisus, qui erat e Bēt Lapaṭ.

Antiochae, postquam stetit Theodotus annos 6, ei successit [XXXIV^{us}] Iohannes.

[1] Ms. : XXIII. — [2] Uncis inclusa in margine scripta sunt. — [3] Vox mihi ignota; incertae vocales.

Hierosolymis, postquam rexit Praylus annos 2, stetit [XXXIII^us] Iuvenalis.

Nestorius autem, ut diximus[1], cum olim esset presbyter Antiochiae ad episcopatum Constantinopolis elevatus est, et statim doctrinam turpem protulit. Dicebat enim : «Mariam Deiparam nemo appellet : Maria enim filia hominis est : ut autem Deus e filia hominis nascatur impossibile est.» Ex hac autem doctrina totus populus perturbatus est et multi suadebant Nestorio ut recederet ab hac impia doctrina : sed non annuit.

Eo tempore notus erat Andreas episcopus Samosatae ad Euphratem, qui et ipse postea impietati Nestorii consensit. Eius diebus fuit inventio ossium Septem martyrum qui martyrium passi sunt diebus impii Maximini : hic autem erat annus 740us *Graecorum*.

Anno sequenti decidit pulvis e caelo super universam terram.

Nestorio autem non recedente ab opinione sua perniciosa, synodus eius causa congregata est anno 743°, Theodosii 32°, iussu ipsius imperatoris Theodosi minoris, synodus episcoporum ccxx *qui convenerunt* Ephesum ad metropolim. Ibi convenerunt Cyrillus Alexandriae, Iuvenalis Hierosolymorum; etiam Celestinus Romae miserat *legatos suos episcopos et presbyteros. Et Theodoretus, et *p. 211. Acacius, et Isaacus doctor Syrorum *convenerunt*. Iohannes autem Antiochiae paullum cunctatus erat. Examine autem instituto, Nestorius nolebat e praeiudicata opinione sua perversa recedere, sed dicebat : «Ego, eum qui fuit duorum et trium mensium deum non dicam; sed innocens sum a sanguine vestro, et apud vos iterum non veniam»; et cum hoc dixisset, exiit; et conveniebat cum episcopis suae opinionis. Cyrillus autem et qui cum eo erant in medium protulerunt commentationes Nestorii, e quibus iudicarunt eum blasphematorem esse, eiusque depositionem fecerunt. Hanc depositionem miserunt ad Nestorium, una die postquam anathematizatus est, dum sedent in ecclesia sancta quae vocatur Maria : «Synodus sancta quae, gratia Dei, secundum mandatum fidelium et Deum amantium imperatorum, congregata est Ephesi : Nestorio novo Iudae[2]. Scito tu, propter praedicationem tuam impiam et pervicaciam tuam adversus canones, ut consentaneum est canonibus ecclesiasticis, die 22^a praesentis mensis ḥazīran a synodo deposi-

[1] Ms. : «ut dicunt». — [2] E Mansi, *Conc.*, IV, 1228, correxi; ms. : «novo Iudaeo».

tionem tuam effectam esse et te ab omni foro ecclesiastico extraneum esse. »

Et etiam Nestorius congregavit episcopos suae opinionis et pronunciavit depositionem Cyrilli necnon Memnonis episcopi Ephesi. Cum autem Iohannes advenisset et vidisset perturbationem exortam, indignatus est in Cyrillum quod *is* nimia celeritate usus erat, et nolebat venire ad synodum. Cyrillus autem Iohanni retribuens eius depositionem procuravit[1]. . . . .

. . . .

*p. 212. * . . . . Congregata est synodus Ephesi secunda vice anno 760° Graecorum. Principes et moderatores eius *erant* Dioscorus Alexandriae, et Iuvenalis Hierosolymorum, et Domnus Antiochiae, et Mar Bar Sauma archimandrita, monachus. Cum autem congregati essent et examinavissent acta *concilii* Constantinopolitani, Flavianus Constantinopolis et Eusebius Dorylaei depositi sunt; et clamaverunt episcopi et anathematizaverunt eum qui dicit duas naturas esse in Christo post unionem. Etiam Iohannes Aegearum depositus est cum aliis qui visi sunt opinioni Nestorii assentire : ut Theodoretus Cyrrhi et Ibas Edessae; Eutyches vero acceptus est quia fecit libellum retractationis. Pro Flaviano [XVI°][2], Constantinopoli constituit synodus sancta Anatolium [XVII^us][3], et dissoluta est.

Domnus autem Antiochiae postquam rexit annos 8, ei successit Maximus.

Eis temporibus profecta est Eudocia, uxor Theodosii imperatoris, Hierosolyma ut oraret, et reversa est.

Imperator autem Theodosius postquam regnavit annos 42, accepit imperium [XLIV^us] Marcianus.

Anno primo sui regni, congregavit et ipse episcopos in synodum Chalcedonis, anno 762°. Causa scilicet erat receptio Eutychis phantasiastae, potius vero ut rediret Theodoretus in suam sedem. Congregati sunt episcopi DLXVII. Misit autem imperator Iohannem tribunum ut adduceret Nestorium ad synodum. Cum esset in via et blasphemaret adversus Deigenitricem, attigit eum iustitia Dei et in itinere mortuus est; mortuus est quoque Dorotheus qui cum eo[4]

*p. 213. . . . . * . . . . con-

[1] Desunt folia nonnulla. — [2] Ms. : «VI»; ordo rectus est: 13. Nestorius (cf. p. 160, l. 26); 14. Maximianus; 15. Proclus; 16. Flavianus; 17. Anatolius; 18. Gennadius, 19. Acacius; 20. Fravitas; 21. Euphemius, etc. — [3] Ms. : «X». — [4] Desunt 7 versus.

stitus est Alexandriae Proterius; eiectus est autem Dioscorus in Gangra : steterat annos 7 in episcopatu; isti adhaeserunt opinioni duarum naturarum. Theodoretus vero anathematizatus erat in synodo anteriore.

Postquam eiectus est Dioscorus in exilium, multi *tamen* clam eum proclamabant in monasteriis. Proterius vero cum id didicisset dedit munus militibus et morti tradidit sacerdotes plurimos in sanctuario : quemcumque noverat adhaerere Dioscoro et hunc proclamare. Fideles autem Alexandriae tunc confortati sunt et sibi constituerunt episcopum [XXVIIIum] Timotheum, qui vocatur Aelurus; vir *erat* asceta et ieiunator, e deserto adductus a Cyrillo et ab eo in presbyterum consecratus. Ordinaverunt autem eum Petrus Iberus et duo episcopi Aegyptii. Strategus autem timens ne audiret imperator duos episcopos esse in civitate misit Timotheum in exilium; sed cum rixa magna in civitate orta esset revocavit eum. Cotidie vero rixas suscitabant in fideles Proterius et eius asseclae. Miles autem quidam (volens) contentioni finem imponere vocavit Proterium quasi complicem : et gladio transfodit eum qui mortuus est; tractum est eius cadaver, et recepit quae merebatur pro certaminibus quae excitaverat in civitate; sicut *olim* Georgii ariani *cadaver*, etiam eius cadaver cremaverunt.

Eis temporibus fuit inventio capitis Iohannis Baptistae in civitate Emesa, diebus Uranii episcopi huius oppidi.

*Tunc mortuus est Ibas, episcopus Edessae, qui fuerat Rabulae *p. 214.
successor[1]. . . . . .obviam ei et dixerunt ei nisi. . . . . . . non accepturos eum, sicut. . . . . eis. Et ipse dixit : «Quod scripsi, scripsi». . . . . et Theodosium monachum vi adhibita ordinaverunt, et [ipse creavit] episcopos multos[2].

Tunc Petrus Iberus ordinatus est episcopus Gazae. Erat regis filius et datus est obses Theodosio imperatori, qui eum in magno honore tenebat. Postea aufugit et in hanc regionem venit.

Iuvenalis cum despectus esset adiit imperatorem et secum adduxit exercitum ut apprehenderet Theodosium, et eos qui eum ordinaverant vinctosque mitteret ad imperatorem, excepto Petro Ibero cuius in gratiam imperatrix intercederat. Tum captus est Theodosius et

[1] Desunt circiter 12 versus. — [2] Ita e Mich. Syr., p. 216.

inclusus ab haereticis in........., in camera in qua erat calx; et mortuus est.

Marcianus autem cum regnavisset annos 8 mortuus est, et ei successit Leo.

Et anno 777° condidit Callinicum[1]...................

....

*p. 215. *.................... suasit Anatolius imperatori ut scriberet encyclicon et interrogaret *episcopos* quid eis videretur de definitione et de ordinatione Timothei. Qui Anatolio assenserunt dixerunt *definitionem* pulchram et rectam, ordinationem vero repugnare canonibus; alii non acceperunt sed spreverunt definitionem. Attamen Timotheus in Gangra eiectus est, et paullo post pulsus est in exilium in regionem Barbarorum, qui cum viderent excellentiam viri adhaeserunt ei. Quando autem advenit edictum imperatoris ut exiret, asseclae Proterii invaluerunt, multos fideles occiderunt et Timotheum e pelvi baptisterii, ubi prae timore latuerat, extraxerunt et eiecerunt; et ordinaverunt sibi alterum Timotheum, qui vocatus est Ḥawara[2] et etiam Salofaciolus[3]. Hic Timotheus assentiebat........... proclamare Dioscorum[4].........................

....

.... ut haec faciant.

Romae autem, cum rexisset Leo annos 22 et mensem unum, ei successit [XLIV^us] Hilarius, annos 6 et menses 3; et post eum [XLV^us] Simplicius.

*p. 216. Constantinopoli, cum stetisset Anatolius annos 9, *ei successit Gennadius, annos 15.

Et Antiochiae, cum stetisset Basilius annos 2, ei successit [XXXVII^us] Acacius annos 9; et post eum [XXXVIII^us] Martyrius annos 13, et post eum [XXXIX^us] Iulianus Cotinus, 5 annos, et deinde [XL^us] Petrus Fullo [anno 790][5].

Leo autem imperator cum regnavisset annos 18, accepit imperium [XLVI^us] Zeno. Brevi postquam tenuit imperium abiit in castrum Salamon[6]; et in eum insurrexit tyrannus Basilicus dictus qui eum expulit et imperio potitus est. Et mox Timotheum Alexan-

[1] Desunt aliquot versus. — [2] Id est «deceptor» vel, mutatis vocalibus Ḥewara «candidus». — [3] Non transcripsit syrus sed interpretatus est hoc nomen quasi «tremula fascia». De etymo, cf. Ahrens und Krüger, *Die sog. Kirchengesch. d. Zacharias*, p. 310. — [4] Desunt aliquot versus. — [5] Uncis inclusa in margine scripta sunt. — [6] Eadem lectio apud Mich. Syr., p. 251 (e Zach. Rhet., V, 1).

driam introduxit, quem ab exilio revocavit post annos 18. Exceptus est magna cum pompa; et secum adduxit ossa Dioscori et Anatolii eius fratris in theca argentea. Timotheo Salofaciolo, qui erat in civitate et amotus fuit, praecepit dari e *reditibus* ecclesiae denarium in singulos dies : is vero e cophinis quos nectebat vivebat.

Tum edidit imperator scriptum encyclicon cui assenserunt Timotheus et multi ex episcopis, circiter DCC, qui anathematizaverunt Tomum Leonis et Nestorium.

Simplicius autem Romae cum rexisset annos 16, ei successit [XLVI^us] Felix.

Et Hierosolymis postquam stetit Iuvenalis, cuius vita tempore trium synodorum protracta est, 39 annos, ei successit Anastasius annos 18, et deinde Martyrius; de isto narrant, cum defunctus esset habuisse discipulum caecum qui dixit : Si veritatem tenebat magister noster in fide sua, cum appropinquabunt oculi mei eius cadaveri illuminabuntur; et ita factum est, et illuminati sunt.

Eis temporibus ordinatus Iohannes e monasterio Qartamin in *episcopum* Amidae; in ea *civitate* condidit templum magnum et gloriosum Quadraginta *Martyrum; et pontem magnum extra civi- *p. 217.
tatem supra Tigrim, anno 795° Graecorum.

Paullo post occisus est tyrannus Basilicus[1], et rursum Zeno imperio potitus est.

Eis temporibus exstirpata est schola Persarum ex Edessa.

Et eo tempore, cum Petrus Fullo regeret ecclesiam Antiochiae, descendit Mar Isaacus compositor Edessa Antiochiam, et vidit avem quandam, quae psittacus vocatur, quae clamabat hymnum «ter Sanctus» et «Qui crucifixus es», et confundebat adversarios; fecit etiam ipse carmen lingua aramaea de ista *re*. — [Est et alius Mar Isaacus qui vixit Edessae temporibus Pauli episcopi et fideliter docebat; et tempore Asclepii, qui fuit episcopus Edessae et introduxit in *hanc* civitatem haeresim Nestorianorum, factus est et ipse nestorianus, scripsitque carmina *quibus* illusit Christo][2].

Et tempore huius Petri Fullonis confirmata est locutio illa : ὁ σταυρωθείς, in omnibus ecclesiis Orientis. Fullo autem vocatur ob eius parentes qui erant fullones, et appellabant eum haeretici hoc nomine quasi per contemptum.

Timotheo autem Aeluro, id est gumrara, quod interpretantur

[1] Ita saepius apud Syros. — [2] Uncis inclusa in margine scripta sunt.

«mustela», a pueritia adiectum est hoc nomen a pueris sociis eius in schola, propter tenuitatem et macorem vultus eius; et etiam cum adolevisset et ascesi vacaret gracilis et macer erat; is postquam stetit annos 2, reliquit in sui loco [XXXII^{um}][1] virum nomine Petrum, qui cognominatus est Mongus; quem cum brevissime stetisset: quasi duos menses, in exilium eiecit Zeno, et eius in locum adduxit Timotheum Ḥawaram.

Is multum laborabat ut uniret populum, damnans fidem Chalce-
*p. 218. donis et Nestorium. Stetit annos 20, et ei successit * [XXXIII^{us}] Iohannes Tiberiadis[2] [duos annos][3]. Is omnibus odio fuit, quia se ipsum anathematizavit et mentitus est et unicuique abominationi fuit; etiam Zeno, negotii saecularis causa, ei iratus est et iussit ut deponeretur eiusque loco Petrus Mongus *iterum* potiretur ecclesia.

Huius Petri diebus extitit Nephalius perturbator, qui volebat confirmare *definitionem* duarum naturarum Chalcedone *latam*.

Ecclesiam autem Constantinopolis dirigebat eo tempore Acacius, qui Gennadio successerat, — et Antiochiae Petrus Fullo.

Tum imperator Zeno fecit scriptum henoticon, et Alexandriam id misit: in eo anathematizavit fidem Nestorii et Chalcedonis et Eutychis, et minatus est exilium omnibus qui id non facerent.

Cum autem regnavisset Zeno annos 17, mortuus est, anno 802°, et accepit eius imperium [XLVII^{us}] Anastasius.

Et anno eius primo completum est millenarium sextum. [Alii dicunt anno eius 19° completum fuisse millenarium sextum][4].

Tunc, cum Felix Romae episcopus explevisset annos 8 et menses 11, ei successit [XLVII^{us}] Gelasius, annos 4 et menses 8; et post eum [XLVIII^{us}] Anastasius.

Eis temporibus fuit Mar Iacobus[5], doctor.

[Et anno 11° regni huius *Anastasii* fuit pestis et fames de qua scripsit Mar Iacobus doctor][4].

In ecclesia Antiochiae, cum stetisset Petrus Fullo annos 2, ei successit [XLI^{us}] Iohannes *annos* 3; et post eum Stephanus; et post eum alter Stephanus, quem perforatum arundinibus proiecerunt in Orontem; et post eum [XLIV^{us}] Calandion; et post eum Petrus annos 5, et Palladius *annos* 7.

Eis temporibus, regnante Anastasio, fuit terrae motus *magnus,

[1] Timotheus supra (p. 163, l. 10) numero XXVIII designatus est. — [2] Sic textus corruptus; Ιωάννης ὁ ταξεννησιώτης ὁ λεγόμενος λοκανικός (Χρον. συντ.). — [3] Numerus in margine. — [4] Uncis inclusa in margine. — [5] Iacobus Sarugensis.

anno 810°; et venit locusta plurima; et thermae ʿAbarnē exsiccatae sunt triduo; et Nicopolis eversa est et obruit suos incolas, servata ecclesia et episcopo; et signum quod imitatur hastam[1] apparuit in caelo.

Anastasius autem imperator addidit tunc, Constantinopoli, formulam : *ὁ σταυρωθείς;* multi acceperunt et recitaverunt eam.

Alexandriae cum stetisset Petrus Mongus annos 9, ei successit [XXXIVus] Athanasius, annos 7; et post eum Iohannes [XXXVus] monachus [*annos* 8][2], cuius diebus *adoptatae* fuerunt formulae Alexandriae. Post eum fuit [XXXVIus] Iohannes Niciotes, annos 11, et post eum [XXXVIIus] Dioscorus, annos 3; deinde [XXXVIIIus] Timotheus can......[3]. Hi omnes orthodoxi *fuerunt.*

Et Hierosolymis cum stetisset Martyrius annos 8, ei successit Saul[4], annos 8.

Et Constantinopoli, cum stetisset Acacius annos 16, ei successit Phrauitas[5] fidelis, annum unum, et post eum stetit [XIXus][6] Euphemius. Hunc eiecit imperator in exilium Euchaita Ponti quia laborabat haeresi nestoriana. Stetit autem annos 7. Et cum eiectus esset is stetit [XXus][7] Macedonius.

Et Hierosolymis, post Saulem[4] stetit Elias. Postquam autem explevit Anastasius Romae annos 9 et menses 11, ei successit [XLIXus] Symmachus, annos 8.

Eis temporibus ascendit Cabades, rex Persarum, in Amidam eamque obsedit 97 dies; et occidit in ea 80 milia hominum, et cum recessisset venerunt Romani et oppresserunt in ea eos qui remanserant.

Et eodem anno, mense elūl, die 6ª, venit *Cabades* Edessam et obsedit eam, *sed gratia Dei nihil nocuit ei, praeter quam *p. 220. incendit ecclesiam Mar Sergii et basilicam septentrionalem Confessorum.

Anno 21° regni Anastasii, eiecit Macedonium [quia notum fuit eum commemorationem facere Nestorii et percutere eos qui dicunt in Trisagio «qui crucifixus es pro nobis»; eiecit eum Oasim][8] et eius loco instituit [XXXIum] Timotheum.

Anno 24° eius regni, rebellavit in eum Vitalianus.

[1] Lege : ܚܢܝܬܐ; cf. supra, p. 8, l. 30; in ms. «quod imitatur tenebras». — [2] Numerus superscriptus. — [3] Vox mutila. — [4] Lege : Sallustius; cf. p. 169, l. 23. — [5] Ms. «Pretorius». — [6] Ms. : XXXIX. Series numerorum inde perturbata; cf. p. 162, n. 2. — [7] Ms. : XXX. — [8] Uncis inclusa in margine scripta sunt.

Vir autem quidam cognominatus Xenaias, nomen vero eius erat Philoxenus, genere Persa erat; olim fuerat unus e ducibus scholae quae antea erat in urbe Edessa, et postea, quod addicta fuit doctrinae Nestorii, exstirpata fuerat Edessa. Huius viri eloquentiam cum perspectam haberent qui cum eo duces erant in schola Edessena, ei inviderunt, et eum expulerunt ab omni schola; et hoc revera *fecerunt* quia non consensit cum eis doctrinae Nestorii. Is vero mox Antiochiam migravit et a Petro archiepiscopo in communionem receptus est, qui cum vidisset eloquentiam eius primum eum fecit chorepiscopum et paullo post etiam episcopum civitatis Mabbug. Mansit autem in communione ecclesiae spatium 20 annorum, et magnam familiaritatem habebat cum Petro, qui stetit annos 5, et pariter cum Palladio qui ei successit per annos 7. Cum autem accepisset episcopatum Flavianus, cessavit eius auctoritas nec omnino poterat consueta perficere. Ex inde orta est inimicitia inter hunc *Flavianum* et Mar Xenaiam, et quia Xenaias adiit imperatorem eique dixit ut protereretur et anathema-
*p. 221. tizaretur synodus Chalcedonensis *et eius Tomus et Nestoriani. Flavianus autem et eius asseclae dixerunt imperatori: « Anathematizamus quemque in suo loco et nolumus incitare draconem in nos. » Ubi autem nota fuit impietas Flaviani imperatori, eum eiecit imperator. Eius loco stetit Severus vir bonus et fidelis, et disertus, monachus probatus e monasterio Theodori, ἀπὸ δικανικῶν Gazae, qui erat apocrisiarius in urbe imperiali. Inauguratus est autem anno 823°. Episcopi autem qui eius ordinationem fecerunt hi sunt : Dionysius Tarsi; Philoxenus Mabbug, qui est Mar Xenaias; Nicias Laodiceae, Simeon Qennešrīn, Petrus Alepi, Eusebius Gabulae, Marion Šurae Romanorum, Sergius Cyrrhi, Silvanus Urimorum, Iohannes Europi, Philoxenus Doliches, Iulianus Salamiae. Cum autem institutus esset, industria Mar Xenaiae Mabbugensis congregata est synodus Tyri, quae anathematizavit synodum Chalcedonensem et eius Tomum. Sergius autem Grammaticus calumniatus est sanctum et scripsit librum reprehensionis adversus eam synodum Tyri eumque tradidit monachis Palaestinae suae opinionis fautoribus. Cum autem haec didicisset sanctus Severus, scripsit eius longam refutationem et testimonia[1] Patrum in tribus tomis adversus Grammaticum.

[1] χρήσεις.

Cum autem regnavisset Anastasius annos 27, regnavit post eum Iustinus[1], qui fautor erat fidei asseclarum Leonis, anno 829°; et anno 830°, expulit Severum Antiochia et Xenaiam Mabbug.

Postquam stetit Symmachus annos 8, Romae, ei successit [L^us] Hormizdas.

*Iustinus autem imperator cum regnaret iussit ut proclamaretur *p. 222. synodus Chalcedonensis et Tomus. Surrexerunt autem Amantius praepositus, et Theocritus domesticus, et Andreas cubicularius, et voluerunt imperatorem impedire, ei dicentes : «Nondum exsiccatae sunt subscriptiones trium patriarcharum qui anathematizarunt synodum!» Imperator autem inde iratus eos necavit. Tunc fidelis Severus Antiochia discessit, metu imperatoris qui mandaverat ut ei lingua abscinderetur.

Eius loco fuit Paulus, qui vocatur Iudaeus, quem olim eiecerat Anastasius; sed, quod commemorationem Nestorii faceret, expulsus est, et eius loco fuit Euphrasius, is qui cum eversa esset Antiochia *terrae motu* combustus est in ardenti lebete cerati unguentarii.

Eis temporibus Edessa aquis submersa est.

Nağran in civitate Himiaritarum, confessores Himiaritae martyrium passi sunt, anno 835° Graecorum.

Constantinopoli, post Timotheum fidelem stetit Iohannes, et post eum Epiphanius.

Hierosolymis, post Martyrium stetit Sallustius[2]; et post eum Elias, qui demum eiectus est; et post eum Iohannes, et post eum Petrus.

Iustinus autem cum regnavisset annos 9, regnavit Iustinianus filius eius sororis, anno 838° Graecorum. Et eius diebus occisus est Vitalianus tyrannus qui rebellaverat tempore Anastasii.

Pontifices autem eius diebus erant : Romae Hormizdas; Alexandriae Timotheus; Hierosolymorum Petrus, qui succcessit Iohanni; Antiochiae Euphrasius, qui successit Paulo Iudaeo et crematus est in eversione Antiochiae, et post eum Ephrem Amidensis; *Constantinopolis autem Epiphanius. *p. 223.

Cum autem inauguratus esset Iustinianus anno 838°, revocavit episcopos qui expulsi erant et in exilium eiecti, ut eos uniret in fide. Erant autem : Severus Antiochenus, Xenaias Mabbugensis, Antoninus Alepensis, Thomas Damascenus, Thomas Darensis, Iohannes

[1] Ms. : «Iustinianus»; cf. p. 108, n. 1. — [2] Cf. p. 167, l. 14, 21.

Tellensis, Thomas Imeriensis, Petrus Rhesainensis, Constantinus Laodicensis, Petrus Apamensis, cum aliis plurimis expulsis quorum nomina mox scribemus.

Cum autem venissent et ingressi essent in conspectu imperatoris, disputabant coram eo cum adversariis; imperator vero propensus erat in asseclas Leonis et *concilii* Chalcedonensis. Id cum vidissent reversi sunt in locos suos pontifices : at rursum imperator eos iterum vocavit; sollicitavit quidem scriptis suis praesertim Mar Severum ob instantiam imperatricis Theodorae quae eum valde diligebat propter eius puritatem suavitatemque et eius dilectione vehementissime capta erat.

Eis temporibus, mortuus est Epiphanius Constantinopolis; eius loco stetit vir eximius et timens Deum, Mar Anthimus Trapezuntis, qui ibi aderat in urbe imperiali et notus erat imperatori omnibusque carus erat; propter eius excellentiam constitutus est patriarcha; et synodum non recipiebat.

Alexandriae, quando mortuus est sanctus Timotheus, ei successit vir Gaianus nomine, qui erat fautor haeresis Iulianistarum; tres menses sedit et eiectus est. Eius loco fuit Theodosius vir fidelis et disertus et probatus et pacificus et amoenus. Advenerunt tres dicti
*p. 224. pontifices *simul in urbe imperiali.

Eis temporibus valde illustris erat et notus Sergius archiater Rhesainensis, vir lingua valens et disertus et edoctus libros graecos syrosque; etiam in doctrina profana multum eruditus erat. Sententia sua orthodoxus erat, ut testantur Prologus et Commentarius Dionysii quem valde convenienter fecit, necnon tractatus circa fidem ab eo compositus diebus Petri episcopi fidelis.

Pontifices autem cum vocati essent ab imperatore, venit quoque Agapetus Romae et cum eo Sergius etiam ascendit. Exceptus est autem Agapetus ab imperatore cum honore, quia eiusdem linguae erat, et coepit conviciari pontificibus sanctis, eos vocans Eutychianistas, cum et ipse haeresi Nestorii detineretur; nam dicebat parvulum primum efformatum fuisse cui deinceps illapsum erat Verbum. Imperator autem cum ei assentiret, expulit tres illos venerabiles Patres quos laudavimus; et abierunt ut viveret unusquisque eorum occulto in loco sibi congruenti. Et constitutus est loco Anthimi in urbe imperiali Menas.

Sergius autem archiater ibi mortuus est his diebus; et Agapetus etiam post eum mortuus est eis diebus stupendo modo, nam com-

minuta est lingua eius et eam lacerabat dentibus. Et fuit post eum Romae Silverius.

Pontifices autem diebus Iustiniani *hi fuerunt :*

Romae, post Hormizdam Iohannes, et post eum Felix; et post eum Bonifacius; et iterum Iohannes; et post eum Agapetus, qui defunctus est in urbe imperiali; et post eum Silverius, deinde Vigilius;

Alexandriae autem, post Timotheum Gaianus iulianista, qui expulsus est; et post eum Theodosius fidelis; et postquam is in silentio quievit, stetit Paulus qui ab Ephrem expulsus est; et post eum Zoïlus *qui pulsus est; et post eum Apollinarius; *p. 225.

Antiochiae autem, post Ephrem Domnus;

Hierosolymis : Petrus; et post eum Macedonius qui expulsus est; et post eum Eustathius;

Constantinopoli : post Epiphanium Anthimus qui recessit in requie; et post eum Menas; et post eum Eutychius qui erat presbyter Amasiae civitatis Ponti, qui missus erat ut vices gereret episcopi senis; cum autem inter episcopos χρήσεις Diodori asseclarum examinarentur, fideliter locutus est; imperator se persuaderi sivit, eum carum habuit, mandavitque ut eum ordinarent.

Eis temporibus, missi sunt ab imperatore Abraham Bar Kaīlī episcopus Amidensis et Ephrem Antiochenus cum exercitu militum ut cogerent fideles synodo Chalcedonensi acquiescere. Et persecutionem passi sunt multi fideles et monachi et episcopi. Multos quidem episcopos proscripsit imperator : alii vero metu discesserunt. Reliquos autem episcopos qui in luctis pro Christo per multos annos claruerunt, nec spatium annorum uniuscuiusque, nec eorum exilia valemus consignare; nam erant e remotis civitatibus et variis in locis cursum suum consummaverunt; nonnullos autem eorum quos oculis nostris vidimus et quibuscum longum tempus conversati sumus, indicabimus; sunt isti [1] :

Post exitum sancti Severi ex Antiochia, persecutionem passi sunt, et e sedibus suis discesserunt e Cilicia II^{a}, *episcopi* quorum nomina : Entrechius Anazarbi expulsus est et abiit in exilium; Iulius Aegearum; Iohannes urbis Mopsuestiae; Paulus [2] Epiphaniae; Iohannes Irenopolis; Paulus Alexandriae minoris. Et e

[1] Quae sequuntur e Iohanne Ephesino deprompta sunt, et in Pseudo Dionysii Chron. servata. Vide Kleyn, *Bijdrage tot de Kerkgeschiedeniss*, etc.; cf. Mich. Syr., p. 266. — [2] Ms. : «Pvlivs».

*p. 226. Cappadocia : *Proclus Coloniae; Musonius Thermarum Basilicarum; Nicephorus Sebastiae Armeniae. Pius Constantinus Laodiceae civitatis Syriae, qui propter mirabilia opera sua et provectam aetatem et doctrinas dignus fuit ut proclamaretur cum patriarcha, in omnibus congregationibus fidelium; habitavit denique in urbe imperiali et in ea consummavit cursum vitae suae. Alepo e civitate exiit beatus magnus et electus Dei Antoninus, qui postquam per plures annos passus est persecutionem variis in locis finivit vitam Constantinopoli. Initio autem persecutionis, strenuissimus miles Philoxenus Mabbugensis, doctor magnus et martyr, exiit; post multos annos persecutionis et ipse martyrium passus est, cum inclusus fuisset in fornace ubi suffocatus est, in civitate Gangris. Exiit Apamea beatus Petrus, qui etiam corporaliter usque ad annum 856um erat cum Theodosio patriarcha et Anthimo; consummavit cursum suum in urbe imperiali. Seleucia e civitate exiit beatus Nonnus et consummavit cursum suum in urbe Amida post annos . . . [1] persecutionis. Qennešrīn e civitate beatus Isidorus pulsus est et exiit cum beato Mara episcopo Amidae in Mesopotamia : Petram quidem expulsi sunt, alia exilia passi sunt et rursum Alexandriam simul venerunt, ubi ambo requieverunt. Damasco e civitate beatus magnus Thomas exiit, qui naziraeus et asceta magnus
*p. 227. erat : ita ut *gustum panis et vini per annos 20 non expertus esset; post annos multos persecutionis quos Alexandriae egit adscendit ad urbem imperialem et in ea vitam suam complevit. Rursum, e provincia Damasci, Alexander Abilae civitatis exiit et in exilio mortuus est; rursum et Thomas episcopus Iabrudae exiit et mortuus est in exilio. Et Iohannes Palmyrae exiit et mortuus est in exilio. Et Iohannes episcopus Zizae Arabum τῶν Ḥawarīn [2] exiit et mortuus est in exilio Ḥaralan in agro Damasceno. Cyrrho sanctus Sergius episcopus, vir (pius) [3], exiit et mortuus est in exilio post annos multos et depositus est in monasterio Bēt Qīṭōn. Germanicia exiit Thomas episcopus et vixit proscriptus annos 23, et mortuus est in urbe Samosata, et depositus est in monasterio Qennešrē. Edessa e civitate exiit Paulus [4] . . . . . Iohannes *civitatis* Ḥarran; Iohannes Himeriae (?), et mortuus est in exilio; Eustathius Perrhae, et mortuus est in exilio; Petrus Rhesainae, et mortuus est

[1] Excidit numerus; forte : 2. — [2] Ziza urbs in Arabia Petraea (Ptol., V, xvii, 6); sane intelligendum «Zizaeorum arabum qui sunt in Ḥawarin»; omnino aliter apud Ps.-Dion. et Mich. Syr. — [3] Deest vox una in ms. — [4] Desunt aliquot voces.

in exilio; Nonnus Circesii, et mortuus est in exilio; Paulus Callinici, et mortuus est in exilio; Marion Šurae, et mortuus est in exilio; Iohannes Tellae, et martyrium passus est Antiochiae; Thomas Darae, et mortuus est in exilio; Aharon Arsamosatae, et mortuus est in exilio. Ex Asia et e Caria *exierunt* : Euphemius archiepiscopus, Aphrodisiade, et mortuus est in persecutione; Menophanes Antiochia ad Maeandrum fluvium; Zeuxis Alabandis, et mortuus est in exilio; Petrus Alindorum, et mortuus est in exilio; Iulianus Halicarnassi, qui factus est *phantasiasta; Theosebius Ephesi; is requi- *p. 228. situs adscendere in urbem imperialem, ut acciperet synodum, se prostravit coram altari et die tertia mortuus est; Valerianus Diocaesareae; Elpidius Cestrinorum; Theodorus Olbiae; Lucas Anemurii [1]; Eusebius Hadrianes; Petrus Meloes [2] (?); Victor Philadelphiae; Petrus Mandanes; Agathodorus Iassi; Pelagius Celenderis, Photianus episcopus Arsinoes, Alexander episcopus Kōnkar, et alii iis numero plures tulerunt agones persecutionis pro Christo.

Anthimus autem, patriarcha urbis imperialis, cum invalesceret haec persecutio, receptus est et occultatus ab imperatrice Theodora, uxore Iustiniani : nam diligebat eum; nec imperator rem notam habuit, honorem et sollicitudinem *imperatrix* ei tribuit[3] . . . . . virtutem orationis huius beati.

Defunctus est autem sanctus Mar Iacobus [4], anno 833°; vixit autem annos 72; *oriundus* erat e pago Ḥawara Sarugi in Mesopotamia, et erat presbyter huius pagi, fuitque . . . . . duos annos; coepit autem componere doctrinam . . . . . cum esset natus annos 15. Et eodem anno, *nempe* anno 833°, mortuus est etiam (. . . . .) episcopus Alexandriae; vixit autem annos . . . . . Paulus autem cum didicisset mortem . . . . instituit eius loco quendam [5] . . . .

Et anno 831°, venit Patricius Edessam ut eiiceret Paulum; urgebat eum ut unum e duobus ageret : aut synodum acciperet et remaneret in sede sua, aut si *recusaverit se eum eiecturum e sua *p. 229. sede. Is vero unum alterumve facere non consensit; sed aufugit et ingressus est in baptisterium et ibi sedit. Cum autem videret Patricius eum resistere et mandatum imperatoris terribile, vi adhibita, eum adduxit Seleuciam. Cum autem audivisset imperator eum e baptisterio extractum fuisse, iussit ut reverteretur, spe quidem ut sen-

[1] Legendum videtur : ܐܢܡܘܪܝܐ; ms. : «Aimoria». — [2] Ms. : «Mlvta». — [3] Deest vox una in ms. — [4] Sarugensis. — [5] Hic desunt circiter versus 14.

tentiam mutaret. At cum vidisset imperator eum minime consentire, eiecit eum in civitatem Euchaita. Eius in locum venit Asclepius, et Edessam ingressus est.

Anno 834° expulit monachos Orientales et singulos qui non admittebant synodum[1] . . . .

. . . .

Anno 843°, composuit pacem inter Persas et Romanos Rufinus patricius, et protracta est pax usque ad annum 851um. Et eo anno transgressus est Chosroes senior, rex Persarum, fines Romanorum, et Antiochiam populatus est, et Šuram et Alepum, [et alios locos][2] multos, et reversus est Edessam, sed nihil ei nocuit, nam exierunt ei obviam proceres: accepit duo κεντηνάρια auri et regressus est in regionem suam[3] . . . .

. . . .

*p. 230. * . . . . christiani. Et hoc anno . . . .

Et anno 885° Graecorum, expugnavit Chosroes Daram et ab ea abduxit captivorum hominum 98 milia.

Et eodem anno lues tumorum pervenit Constantinopolim et eiiciebantur [cadavera][4] . . . .

Et anno 892°, eiectus est Paulus, et factus est Petrus patriarcha . . . . et anno sequenti . . . . et Theodora[5] . . . .

. . . .

. . . . qui eum occidit Phocas regnavit post eum, et expugnata est Rhesaina.

Et anno 912°, fuerunt tenebrae in universam terram et apparuerunt stellae media die.

Anno 914°, Narses Edessam ingressus est et eam occupavit; et lapidavit Severum episcopum.

Et anno 921°, mortuus est Phocas imperator Romanorum, et regnavit post eum Heraclius . . . . et venit ad[6] . . . . .

. . . .

. . . . synodus congregata est Constantinopoli anno 992°, et anathematizavit eum qui dicit «unam voluntatem et

[1] Desunt aliquot folia. — [2] Desunt duae aut tres voces quas coniectando supplevi. — [3] Voces quae proxime sequuntur spectant ad ordinationes «sacerdotum in omnibus civitatibus» factas a «Iacobo» Baradaeo, anno graecorum 856°. Versus circiter 55 pene deleti sunt; et desunt folia sequentia. — [4] Desunt 5 vel 6 voces. — [5] Desunt circiter 20 versus. — [6] Desunt aliquot folia.

unam operationem in oeconomia». Clarum se praebuit in hac *synodo* Maximus monachus.

Tunc regnavit Iustinianus, 27 annos. Et confirmavit synodum a patre suo Constantino congregatam, et expulit ab ecclesia, ne ministrarent altari, eos *qui non acceperunt dogma. Insurrexe- *p. 231. runt autem in eum Romani, nasum ei amputarunt eumque in exilium eiecerunt.

Eius loco regnare fecerunt Leontium patricium; hunc, postquam regnavit annos 3, eiecerunt et regnare fecerunt Apsimarum; et postquam *is* regnavit annos 3, reversus est Iustinianus ab exilio cum ingenti exercitu, et occidit omnes principes Romanorum. Et insurrexerunt in eum et occiderunt eum Tiberiumque eius filium, et regnare fecerunt Philippicum, (annum) unum cum dimidio.

Hunc, cum vellet congregare synodum et confirmare haeresim Maronitarum, in eum insurrexerunt Romani, ei oculos effoderunt, et regnare fecerunt Anastasium. Et, cum regnavisset annos 3, eum eiecerunt et regnare fecerunt Theodosium; et post annos 2 hunc eiecerunt et regnare fecerunt in se Leonem.

Antea autem, temporibus Iustiniani et Constantini, cuius diebus exorta est haeresis Maronitarum, anno 990°, mense nīsan, die 3ª, dominica Azymorum, hora 3ª, accidit terrae motus vehemens quo ruit Baṭnan Sarugi et ecclesia antiqua Edessae : et periit populus multus.

Et anno 991°, mortuus est Moʿawia, rex Arabum [20 ann.][1]; et regnavit Yezīd filius eius post eum, annos 3 et menses 6.

Et anno 994°, mortuus est Mar Severus Bar Maška, patriarcha Antiochiae; et *etiam* Yezīd filius Moʿawiae, et regnavit Marwan filius Ḥakam, annum unum cum dimidio.

Et anno 995°, factus est patriarcha Mar Athanasius.

Et anno 996°, mortuus est Marwan; et regnavit ʿAbd al-Malik, filius eius, post eum, annos 21. Is composuit cum Romanis pacem 3 annorum, eisque solvebat tributum in singulos dies mille denarios et equum arabicum unum.

*Et anno 999°, factus est Mar Iulianus patriarcha, in monasterio *p. 232. Mar Iacobi, Cyrrhi, et Mar Georgius Tribuum[2] *episcopus factus est.*

Et anno 1006°, exierunt exercitus Romanorum in vallem Antiochiae, et eis occurrit Dīnar filius Dīnar eosque destruxit; pauci

[1] Uncis inclusa in margine adnotata sunt. — [2] Arabum nomadum.

eorum effugerunt et reversi sunt in dicionem Romanorum cum dedecora fama.

Et eodem anno, rebellarunt Romani in Iustinianum eorum imperatorem, et ei nasum amputarunt, et eum eiecerunt; et e carcere eduxerunt Leontium eumque regnare fecerunt in se. Et haec notata sunt a nobis supra, quando consignavimus nomina imperatorum Romanorum unum post alterum usque ad Leonem.

Et anno 1008°, cuderunt Arabes zūzē et denarios quibus non cruces sed scripturae impressae erant.

Et anno sequenti, fecit ʿAṭiya descriptionem peregrinorum. Et factus est Mar Georgius episcopus, e monasterio Mar Šīlae, in Sarug et regionem Ḥawara.

Et anno 1010°, mortuus est beatus Mar Thomas Tellae Mauzelat.

Et anno 1015°, profectus est ʿAbdallah, filius ʿAbd al-Malik, cum magno exercitu; secum duxit operarios et reaedificavit Mopsuestiam in regione Ciliciae.

Et eodem anno, exiit edictum et omnes porci necati sunt.

Et anno 1016°, mortuus est ʿAbd al-Malik, et regnavit Walīd, filius eius, post eum, annos 9; vir astutus qui multiplicavit exactiones et angustias plus quam omnes eius decessores. Penitus delevit cunctos praedones et latrones. Condidit urbem eamque vocavit ʿAīn Gērā.

Et eodem anno, mersus est in Euphrate Šabīb ḥarurita [1], eques famosus et strenuus.

* p. 233. *Et anno 1018°, condidit et absolvit ecclesiam Nisibi Mar Simeon, episcopus Ḥarran, qui erat e monasterio Qartamin; eam autem consecravit Mar Iulianus patriarcha.

Et eo anno congregata est synodus in monasterio Mar Šīlae, diebus Mar Iuliani patriarchae.

Et eo tempore, Abbas Mar Iacobus, interpres Librorum notus erat, et a synodo coactus accepit sedem Edessae. Et post menses 4, profectus in Occidentem ut assumeret libros suos, mortuus est in monasterio TellʿAdae.

Et anno 1020°, factus est Mar Elias patriarcha.

Et eodem anno, exiit edictum ut omnes describerentur et quisque veniret in locum et domum patrum suorum.

Et anno 1021°, destitutus est Moḥammed filius Marwani, *praefectus*

[1] Id est : addictus sectae religiosae Arabum Iraci حرورية dictae.

Mesopotamiae, et eius in locum venit Maslama, filius ʿAbd al-Malik; et congregatis copiis ingressus est in terram Romanorum. Obsederunt castrum Tarandum, et Mysiam[1], et Mystiam civitatem : eas *urbes* vastaverunt et captivos abduxerunt omnes in eis *inventos*.

Et anno 1022°, misit Maslama amiras in universam Mesopotamiam : mensuraverunt agros et numeraverunt vineas et plantas, homines et iumenta, et suspenderunt numismata plumbea collo uniuscuiusque.

Et anno 1024°[2], mense šebaṭ, die 28ª, ad auroram feriae tertiae, fuit terrae motus in universis locis Syriae; destruxit et obruit homines innumeros; et fuit etiam locusta numerosa, et lues.

Et anno 1026°, mortuus est Walīd, et regnavit Soleiman annos 2 cum dimidio.

*Et anno 1027°, congregavit Soleiman copias et operarios, et *p. 234.
gressi sunt per mare, et castrametati sunt in Asia; et expugnaverunt civitates duas : Sardes et Pergamum, aliaque castra; multosque occiderunt et captivos abduxerunt; Syros etiam qui ibidem erant deduxerunt et dimiserunt in pace.

Anno 1028°, collegit rursum Soleiman copias in prato Dabiq, et misit exercitum numerosum cum ʿObeida, duce exercitus, in dicionem Romanorum. Profecti sunt et castrametati sunt in Thracia regione; et ingressus est ʿObeida Bulgariam regionem, et magna pars eius exercitus a Bulgaris destructa est; reliquos vero ita oppressit Leo, imperator astutus Romanorum, ultimus imperatorum Romanorum de quibus supra scriptum est[3], ut devorarent carnem et fimum iumentorum suorum.

Eodem anno, expugnatum est castrum Anṭigōn a Davide filio Soleimani. — Et mense ēlūl, mortuus est Soleiman in prato Dabiq; et post eum regnavit ʿOmar, filius ʿAbd al-ʿAzīz, filii Marwani, annos 2 et menses 7 . . . .[4] et rex misericors plusquam omnes eius decessores.

Et anno 1029°, mense kanūn priore, die 24°, die Veneris, hora tertia, *in festo* Nativitatis, accidit terrae motus vehemens, et audita est vox quasi tonitrus magnus.

Anno 1030°, factus est Mar Athanasius Hibaya, archimandrita *monasterii* Qartamin.

[1] Lege «Amasia». — [2] Ita in margine; in textu scriptum est «1029», correctum e 1022. — [3] Cf. supra, p. 175. — [4] Desunt duae aut tres voces.

Et anno 1031°, mortuus est ʿOmar in regione Apamensium, in monasterio Icronithae [1] (?), et regnavit post eum Yezīd filius ʿAtka, filii [2] ʿAbd al-Malik, annos 4. Et iussit ut delerentur omnes imagines et figurae in suo imperio sive aeneae, sive ligneae, sive lapideae sive coloribus depictae.

*p. 235. *Et anno 1033°, misit Daḥak, amira Mesopotamiae, descriptores in universam provinciam suam, qui descripserunt homines parvulos et seniores, eum etiam qui ipsa die natus erat, et mensuraverunt agros, et numeraverunt plantas et censum fecerunt qualis *antea* non fuit; quem inveniebant fraudem commisisse, eum radebant : multos homines raserant.

Et anno 1035°, mortuus est Mar Elias patriarcha, *mense* tešrīn priore, die 3ª, et ei successit Mar Athanasius e monasterio Gubba Barraya.

Et eodem anno mortuus est Yezīd rex, et regnavit Hišam [3], filius ʿAbd al-Malik, post eum, annos 19. Is plus quam reges sui praedecessores condidit domos, sata, officinas. Et eduxit ab Euphrate canalem ad irrigandum plantationes et sata quae ad eum *fluvium* instituerat.

Et anno 1037°, ingressus est Maslama dicionem Romanorum : cepit Neocaesaream Ponti, et eam vastavit, et *incolas* eduxit captivos in Syriam.

Et rursum ingressus est anno 1039° fines Turcarum : occurrit ei exercitus numerosus, et clade *accepta* reversus est; iterum collegit lapicidas et lignarios fabros et secunda vice ingressus est, pugnavit et vicit : et ibi condidit castra et urbes magnas.

Et anno 1045°, decessit Mar Simeon episcopus Ḥarran, e monasterio Qartamin, die 3ª *mensis* ḥazīran : ei successit Mar Simeon eius discipulus.

Et anno 1046°, defunctus est Mar Constantinus, episcopus Edessae, discipulus Mar Iacobi, cui successerat; ei successit Athanasius eius discipulus.

Et anno 1047°, congregata est synodus episcoporum in monasterio ʾArbīn, in Occidente, cum Mar Athanasio patriarcha, propter correctionem canonum ecclesiasticorum.

*p. 236. *Et anno 1049°, defunctus est Mar Thomas episcopus Ḥarran,

[1] Dubiae vocales; arabici script. vocant illud «Simeonis monasterium». — [2] Vel «filius»; re quidem vera ʿAtka uxor fuit ʿAbd al-Malik, mater Yezidi. — [3] Ms. ubique : «Hašīm», ratio scribendi frequens apud Syros.

et Mar Theodorus Samosatae, et Mar Theodotus Germaniciae, et Mar Iohannes stylita Litarbae.

Et anno 1054°, congregata est synodus in Occidente, cum Mar Iohanne patriarcha et Mar Athanasio Sandalana[1], metropolita Mesopotamiae, ob perturbationem quae accidit in ecclesia et varias correctiones.

Et eodem anno, mortuus est Hišam, et regnavit post eum Walīd, annum cum dimidio, vir vino et luxuriae deditus.

Et anno 1056°, mortuus est Walīd, et regnavit post eum Marwan; vir durus et Arabibus tremendus. Cum mortuus esset, regnavit post eum ʿAbdallah filius Moḥammedi. Eo iubente, eversi sunt muri civitatum Syrorum.

Et anno 1065°, mortuus est ʿAbdallah, et regnavit ʿAbdallah eius frater. Initio eius regni fuit bellum et dissentio inter Persas et Arabes. Et post se regnare fecit filium suum Mahdī in Arabes[2]...

Et anno 1066°, mortuus est Mar Iohannes patriarcha; et convenerunt episcopi Rhesainam, secundum mandatum regis, et ordinaverunt sibi patriarcham Mar Isaacum, episcopum Ḥarran, e monasterio Qartamin.

Et anno sequenti, mortuus est apud regem, ʿAqūlae, et ei successit patriarcha Mar Athanasius Sandalana, e monasterio Qartamin.

Et anno 1069°, ordinatus est Mar Dionysius episcopus in *urbem* Ḥarran, e Qartamin.

Et eodem anno, mortuus est Mar Athanasius, in *urbe* Ḥarran, die 11ª mensis ḥazīran, et adduxerunt eum deposueruntque in coenobio quod condiderat apud Bēt Tell Bešmai.

* Et anno 1070°, fuit schisma et perturbatio magna in ecclesia; *p. 237.
tunc congregati sunt episcopi Occidentales et creaverunt patriarcham Georgium diaconum e Baʿaltan; episcopi autem Mesopotamiae sibi constituerunt Mar Iohannem e monasterio Qarqaphtae.

Et anno 1073°, mortuus est Mar Iohannes patriarcha; congregavit autem rex ʿAbdallah omnes episcopos, et Georgium patriarcham in carcerem detrusit decem annos, et eius loco constituit Davidem impium, episcopum Darae, e monasterio Qartamin. Ibi mortuus est Mar Dionysius episcopus Ḥarran.

Et anno 1081°, venit Maruta impostor Mosule in provinciam

[1] Lectio etiam apud alios scriptores recepta, melior forte quam vulgata forma «Sandalaya». — [2] Una vox deest.

Mesopotamiae; praedicabat autem suis diebus completum esse peccatum mundi, et dicebat de se ipso : « thaumaturgus sum. » Venerunt apud eum *e variis* locis Mesopotamiae. Praecipiebat autem eis ut exirent in rogationes; et conspergebat eos cinere; altaria autem, cruces, presbyteros in suo nomine a se consecrari dicebat; feria quinta mysteriorum agnum comedebat, Christi instar nempe, cum Christianis multis. Erat autem in regione Darensium.

Et anno 10..[1] mortuus est David impius qui factus est patriarcha cogente regia auctoritate; beatus autem Georgius mansit in carcere vinctus.

Postquam regnavit ʿAbdallah, filius Moḥammedi, annos 23, mortuus est, et ei successit Mahdī eius filius, quem regnare fecerat.

Is vero cum regnaret dimisit Georgium e carcere. Et congregavit synodum episcoporum xxxvi in *urbe* Sarug, propter Iohannem me-
* p. 238. tropolitam Tagrit; et anathematizaverunt eum omnes *et deposuerunt. Acceptus vero est in monasterio Mar Mattai: et creavit ex istis *monachis* sex episcopos.

Et eodem anno[2] mortuus est Mahdī; regnavit autem 8 annos et 9 menses. Et regnavit Musa, filius eius, post eum, annum unum. Regnavit autem post eum Harun, frater eius, annos 23. Et post hunc regnavit Moḥammeṭ, eius filius; et occidit eum ʿAbdallah al-Māmun, frater eius, et mansit universa regio Syriae sine rege 15 annos.

Et anno 1101°, ordinatus est Mar Iosephus patriarcha, e monasterio Gubba Barraya, *sedit* annum unum, et mortuus est.

Et anno 1104°, ordinatus est Mar Cyriacus patriarcha, e monasterio Bizunae, die 15ª *mensis* ʾāb.

Et anno 1128°, die 16ª *mensis* ḥazīran, die dominica sancta, hora sacrificii divini, is e mundo migravit in civitate Mosule; et deductus est ad civitatem Tagrit depositusque est in ecclesia magna castri.

Et anno 1130°, ordinatus est Mar Dionysius patriarcha, e monasterio Qennešrē, Callinici in civitate. Et cum is mortuus esset fuit post eum patriarcha Iohannes e monasterio Mar Zakai, anno 1158°; ordinatus est autem in monasterio Mar Šīlae, quod est in *urbe* Sarug.

[1] Quo anno mortuus sit David nullibi adnotatum invenimus. — [2] Anno Graecorum 1096 (785).

CHRONICA MINORA

PARS TERTIA

INTERPRETATI SUNT

E.-W. BROOKS, IGN. GUIDI, I.-B. CHABOT

I

FRAGMENTA CHRONICI ANONYMI AUCTORIS AD ANNUM DOMINI 813 PERTINENTIA.

INTERPRETATUS EST E.-W. BROOKS.

Haec fragmenta, quae ego ipse, anno 1900, adiectis interpretatione anglica et commentario, edidi, inde a morte Ioannis, patriarchae Iacobitarum, quae anno 754 contigit, usque ad caedem Al Amin caliphae, anno 813 patratam, protendunt. Auctor eodem fonte quo Michael Syrus usus est, sed quo tempore vixerit parum liquet.

Asservantur fragmenta in cod. Musaei Britannici Add. 14,642, fol. 36 v°-39 r°, qui etiam Chronicon aliud quod supra edidimus (vide p. 121) alia manu scriptum continet. Haec pars codicis, valde mutila et indistincte scripta, ultima pagina excepta, palimpsestos est et saeculo x° vel xi° exarata esse videtur. Errores haud paucos, quos in priore editione feceram, nunc correxi, et lacunas e syriaco Michaelis textu a Chabot recenter vulgato plenius atque accuratius supplevi.

Notitia bibliographica :

Codicis descriptionem legas apud Wright, *Catalogue of Syriac MSS. in the British Museum*, p. 1041.

Editio : E. W. Brooks, *A Syriac Fragment* (*Zeitschr. d. Deutschen Morgenländischen Gesellschaft*, Bd. LIV, p. 195 sqq.). Textus cum interpretatione anglica. Vide etiam p. 560 (adnotationes Sigismundi Fränkel) et p. 682.

. . . . Et anno] 1066° requievit Mār Ioannes patriarcha in *p. 243. Gĕzīrtha, [et depositum est corpus ejus] in vico Badya ad flumen Euphratem. Et deinde mandavit Abū Gaᶜfar [rex], qui et ᶜAbd Allah, episcopis, et coegit eos patriarcham instituere Isaacum episc. Ḥārrān, qui erat [monachus] e monasterio Qartamin. Hunc ipsum Isaacum Athanasius Sandālāna, metropolita Gĕzīrthae, instituit super Ḥārrān contumaciter et non secundum Deum : factus est enim Athanasio amicus et etiam regi causa huiusmodi. Fertur, cum habitaret in monte Edessae, in monasterio quod vocatur Bēth Purkĕse[1], venisse ad eum monachum quendam peregrinum, et apud eum degisse, et ab eodem Isaaco honoratum esse; et, cum vellet abire, dixisse Isaaco peregrinum illum ut sibi particulam plumbi adferret; quam cum liquefecisset, e mantica sua protulisse marsupium quoddam parvum, cui inesset medicamentum[2], [et] particulam eius super plumbum illud [infudisse], idque tinctum esse et aurum factum : quo viso Isaacum artis *adquirendae* desiderio ictum esse, eumque multum supplicasse ut se eam doceret; illum autem dixisse se de hac nihil scire, sed medicamentum illud sibi ab alio datum esse : et, quando exiisset in itinere progressurus, Isaacum cum eo ivisse *ducendi causa; et, dum eunt, prostravisse eum et *p. 244. in unam e fossis antiquis, quae in monte sunt, deiectum, magno quodam saxo post eum misso, occidisse : et id fecisse quia putaret illius medicamenti multum cum eo esse; et mantica eius perquisita nihil in ea invenisse praeter marsupium illud; et, cum multum eum paeniteret, se ipsum culpasse de caede illius monachi : et ratione huius medicamenti accidisse ut Sandālānae amicus fieret, et *is* eum [episc.] institueret in Ḥārrān, spe *ductus* ut se ipsum artem doceret. Ita etiam eadem ratione Abū Gaᶜfar regi familiaris effectus est. Hac de causa post mortem Ioannis congregavit episcopos, eosque compulsione adegit eum patriarcham creare; et instituerunt eum Rhesainae. Et, quia noverat miser se non libenter acceptum iri, a rege diploma[3] postulavit. . . . ., ut ab omnibus acciperetur; et dedit b ī r u n a m[4] et baculum e thesauris regni sui :

[1] «Domus turrium.» — [2] ξήριον, *elixir*. — [3] σιγίλλιον. — [4] βιῤῥίον, hodie *biretta*.

et promisit ei se exiturum esse et radices arti idoneas collecturum, eumque eam docturum. Post breve tempus rex eum arcessivit, et re cum eo inquisita cognovit eum mendacem esse neque artem novisse seque decipere : et mandavit et suffocarunt eum et corpus eius in Euphratem iecerunt; et reddita est ei pernicies quam merebat pro caede pauperis illius monachi; itaque morte mala interfectus est.

Similiter etiam post mortem huius Isaaci rursum coegit rex episcopos, et patriarcham creaverunt Athanasium metropolitam Maipherqaṭ, qui et Sandālāna; cui dedit diploma[1] et milites regales et mandatum regale quod omnes eum accipere cogebat. Qui, cum Ḥārrān venisset, homines sibi obviam exire cogebat seque cum pompa recipere; et urbem ingressus voluit eis episc. instituere
*p. 245. ʿAbdĕnāy, *Isaaci cuius supra mentionem fecimus discipulum; *quem accipere* nolebant, sed ab ipso etiam abhorrebant. Tandem coactus. . . . . .rem haud pulcram et modo audacem (facilis enim detectu). . . . . .quidam, cum zelo exarsissent, eum noctu adorti. . .iniecto [suffocaverunt][2]. Sunt [autem] qui dicunt eos instigante a m ī r a urbis hoc fecisse, et. . .iniecisse et eum occidisse. Verum mors eius liberatio esse multis visa est. Corpus eius monasterii [incolae] tulerunt et eduxerunt, et intra monasterium eius depositum [in urna][2] cum honore reposuerunt.

Post huius *mortem* congregati episcopi super se patriarcham instituerunt [Georgium] e vico Bĕʿeltān qui prope Gusith (?) situs est, in regione Emesae; qui prima adolescentia [in] coenobio quod vocatur monasterium Qennešrē [educatus est] : institutus est autem in *urbe* Mabbug anno [1070°][2] Graecorum mense k ā n u n[3]. Ceterum erant inter episcopos Iohannes Callinici [et David] episc. Darae, qui Georgio non favebant; eumque vituperabant, et malignitate *commoti dixerunt :* «[Ne] omittamus viros instructos ac [peritos et] laicos instituamus»; ea de causa quod Georgius albis adhuc vestitus erat, utpote [in ordine] diaconorum numeratus. Hoc autem fecerunt quia patriarchatum sibi uterque [adpetebat]. Et, cum episcopi discessissent [. . . . . .et episcopi] Gĕzīraei [rediissent][2] et Euphratem traiecissent, [operatus est in eis Satanas, et constituerunt sibi principem Iohannem episc. Callinici et eum patriarcham

[1] σιγίλλιον. — [2] E Michaelis Syri Chronico suppl. — [3] Utrum *kānun* I°, an *kānun* II° (decembri an ianuario), nusquam dicitur.

institueruut; cuius etiam in monasterio][1] Qarqaphthae fuerat disciplina, et in. . . . . .vico *iuxta Edessam. *p. 246.

Exinde divisio et schisma in ecclesiam inciderunt : [et Georgius][1] tractus occidentales et regionis Gĕzīrae partem visitabat; fideles [autem. . .] Callinici incolae, Iohanne ex urbe sua expulso, etiam [nomen eius proclamare][1] recusaverunt.

Et anno sequenti, qui est *annus* 1073us, ʿAbd Allah Abū Gaʿfar rex [urbem ad] Tigrim supra Ctesiphontem aedificavit, quam nominavit Baghdād : et eo anno mortuus est Iohannes. [Et hoc] anno [fuit] grando multa et pernicies adeo ut in omni saxo ex ea, ut fertur, essent [8 librae.][1]

Mortuo Iohanne, stetit David Darae, qui cum ipso Iohanne electionem impedire conatus erat. Et episcopi ad *urbem* Sĕrug congregati inter eum et Georgium pacem fecerunt, anno 1078° : et, cum non stabilita esset neque mansisset pax, impius David ad regem ivit, et de Georgio multa mala regi proferebat, dicens : «Male nobiscum agit, et vult per compulsionem [patriarcha] esse; et, cum dicimus ei[2] : «Cur non regis diploma[3] tecum portas?», dicit nobis : «Non iustum aestimo ut nomen prophetae eorum in peram meam intret.» Et rex, cum misisset eumque vocasset, eum de hoc interrogavit et eum examinavit : «Verumne est quod dicunt, te ita dixisse, nomen prophetae nostri in peram [tuam] non intraturum?» Dixit ei : «Non dixi. Nomen eius mecum manifestum est in multis rebus, in zuze ac denariis impensae [meae].» Et cognovit rex eos ex invidia eum tradidisse[4]. Verum imprimis eum in rotis extendit, *et tribus *p. 247. scuticis tantum vapulavit. Et, cum ab eo postulasset ut se artem chemicam doceret, et dixisset [ei] aliquid hujusmodi[5], ... Et cum eum rogasset : «Cur non tecum portas [diploma] a nobis?», dixit patriarcha : «Quia non propositum mihi est ut quemquam mihi se submittere compulsione cogam.» Et, cum vidisset rex . . . . , tamen mandavit et eum in carcere incluserunt. Et misit rex et vocavit episcopos, et super se principem creaverunt ipsum David Darae, et nolentes invitique principem [suum] nominaverunt; cui dedit diploma et copias regales qui cum eo circumirent; et [passim] videre erat sacrarium vice clericorum Persis ac satellitibus plenum, qui [populum. . . . .] in oblatione per compul-

[1] E Mich. suppl. — [2] Cf. Matth., xxvii, 18. — [3] σιγίλλιον. — [4] Excidit, ut videtur, aliquid. — [5] Excidit, ut videtur, aliquid. Habet Mich. «fortitudinem et intelligentiam eius».

sionem communicare cogebant. Itaque episcopi et fideles a facie eius recesserunt; et, si quis inveniretur qui a facie eius fugisset et caperetur, crudeliter eum tractabant, et Ḥārrān adductum in carcere includebant : itaque ecclesia in [turbatione] et negotiis impeditis usque ad mortem Davidis et solutionem vinculorum (?)[1] quam concessit Deus [Mār] Georgio remansit.

Et anno 1080° fuit terrae motus gravis, et Paddānae Rabthae revelatum est idolum quod adorabant Manichaei qui ibi *erant*. Et hoc anno Abū Gaʿfar Rafiqam iuxta Callinicum aedificavit. Hoc tempore fertur inventa esse mulier in regione Bukāriorum, quae
*p. 248. *nunquam cibum cepisset, nec lac suxisset, neque etiam potu *opus habuisset* a tempore [nativitatis], res stupenda et vere mirabilis et contra naturam. De [qua] cum audiisset Mahdī, filius regis, arcessivit eam adduxitque, et rem exploratam veram esse [repperit].

Et anno 1083° *Abū Gaʿfar* [fratrem suum] ʿAbbās [a Gĕzīrtha][2] dimisit, et pro eo constituit Mūsam filium Muṣʿab Iudaeum; ita [etiam in Qennešrīn *constituit* quendam] quem vocant Mūsam filium Sulaimān, nefarios ambo et [iniquos. Et omne argentum atque aurum][2] mundi in aerarium [suum] congregavit, donec nulla [prorsus] zuza vel [denarius] inveniebatur [nisi apud mercatores][2], et homines adeo graviter afflicti sunt ut mortem poscerent....... pretium eius, et asinus similiter : triticum [.......quinque][2] modii zuza, et pueri puellaeque qui cadebant.....quinque zuzē ....subito eos ebrios fecit.................. ....occidit eos et abstulit quodcunque........... ....

Et hoc ipso tempore [mortuus est Abū Gaʿfar rex, postquam regnavit annos] 21 et menses 3; et [post eum regnavit Mahdī, filius eius. Et eo anno obiit] Constantinus, imperator Romanorum, [et post eum stetit Leo, filius eius; et ambo omnes] inclusos et incarceratos liberaverunt; [quibuscum exiit etiam Georgius patriarcha anno[2] 10]8[8° Graecorum[2]......................
*p. 249. *Et anno 110]1° Graecorum [.......................... .... crevit][2] autem morbus in regione Claudiae; [quapropter adscendit

[1] Hoc sensus requirere videtur. Interpretationem Fraenkel (*Z.D.M.G.*, LIV, 560) cum contextu conciliare non valeo. — [2] E Mich., suppl.

...ad monasterium Mār Barṣaumae][1], et Dei mandatum eum adsecutum est atque ibi vitam finivit, ibique [depositus est.

Et *mense* ḥĕzīrān] eiusdem anni congregati sunt episcopi Badyæ Zĕʿorthae, in planitie [Ḥārrān; et electionem fecerunt][1] Mār Iosephi e Gubba Barraya, eumque super se patriarcham instituerunt. Et, cum [exiisset] ut regem adiret ac diploma[2] reciperet, et, itinere completo redire incepisset, [Dei] mandatum eum adsecutum est in [coenobio] Mār Athanasii, quod *est* supra Tell Bešmai, atque ibi vitam finivit, [mense kānun][1] priore anno 1103° Graecorum. Unum autem episcopum solum instituit, [Anthimum[1]...] in Bĕʿelbakh.

Et anno 1104° Graecorum congregati sunt episcopi ad *urbem* Ḥārran, [et *die* octavo][3] mensis āb Cyriacum Tagrīthensem e monasterio Bizunae, virum disertum ac prudentem, moribus purum, anima ac corpore sanctum, ecclesiae principem instituerunt. Et, postquam..... et omnibus gratus fuit, et quodcunque faciebat et mandabat, secundum voluntatem suam eveniebat....... et ut dominus ac princeps quodcunque voluit stabilivit, et antiqua etiam renovavit correxitque. .... et cum amore et iusta subiectione ab omnibus receptus est, et non erat «satan [neque] occursus malus[4]», et iam speravit res a se inceptas ita facile exituras, operam dedit ut etiam vocem «panem caelestem» ex [ecclesiae] oblationibus amoveret atque aboleret; dicebat [enim]: «Noviter introducta est», et: «Additamentum inducit ad * Trinitatis mysterium.» Et * p. 250. [sacerdotibus] etiam, quoscunque instituebat, strenue mandabat ne eam in commemorationibus suis proferrent; neque in mentem revocavit Georgium etiam, praedecessorem suum, zelo adversus vocem magis quam ipse exarsisse, et *tamen,* quoniam tempora mala [consideraret][5], et ut virum sapientem qui emit tempus suum[6], quidquam de ea [decernere] dispensatorie neglexisse; quia schisma quod ob eam *vocem* futurum erat praevidit. Sed quidam qui hanc vocem amplectebantur, cum vidissent [Mār] Cyriacum decretum facientem et sacerdotes eam proferre sub anathemate prohibentem, multum conturbati sunt. Exinde, synodum congregavit ad vicum Bēth Bāthīn in planitie Ḥarran, anno 1106° Graecorum; et, cum verba et disputatio de ea inter episcopos fuissent,

[1] E Mich. suppl. — [2] *σιγίλλιον.* — [3] Sic Barh.; textus Mich. «quintodecimo» : vide textum p. 249, n. 4. — [4] III *Reg.*, v, 4. — [5] Hoc sensus requirit. — [6] *Col.*, iv, 5.

placuit de ea ut unusquisque ea secundum voluntatem suam uteretur, neque ei qui proferrent eos qui non proferrent neque hos illi culparent; aliter enim decretum de ea promere non potuerunt. Et postea canones alios ecclesiasticos quadraginta statuerunt, quos in hac synodo patriarcha novos condidit, neque erat qui mandatis eius resisteret. Sed erant inter episcopos qui erga eum animis parum bene dispositi erant, quorum unus [fuit] Severus, episc. Samosatorum; qui cum Cyriaco cognitus esset, ab ipso concilio, postquam dispersum est, recto itinere ad urbem eius Samosata ivit; et, cum speraret Severus se eum accusaturum et de ea *re* praetextum inventurum, ivit, et civibus nuntium misit ne ad eum [exirent] neve ecclesiae portas ei aperirent. Et, cum venisset Cy-
*p. 251. riacus et * [ad eum] non exiissent [neque] portam ei [aperuissent], deinde ad rectorem urbis profectus [diploma ei monstravit][1]; et, mandato ab illo dato, ecclesiae ei apertae sunt : et tunc patriarcha [ecclesiam] ingressus [tribunal adscendit][1], et Severum ab omni Christianorum societate sub anathemate separavit....... concilum deinde ivit et episcopis persuasit[2] [ut.......] et ab eo peterent ut se absolveret : et [ad patriarcham in monasterium eius ivit, et *is* ei veniam dedit, et facta est][1] pax.

Et anno 1110° Constantinus, [imperator Romanorum], ad omnem lasciviam atque impudicitiam conversus [filias optimatum] Romanorum [sumebat] et [illas] stupro [polluebat. Tunc][1] mater eius [de his omnibus][1] quae agebat [a principibus certior facta se ipsam eum amoturam promisit; et eruit oculos][1] eius et occaecatus est, et ea [sola regnavit, et vicarium suum fecit Aetium eunuchum[1].

Et] *mense* ḥĕzīrān anni [1117[1][3].......... Hārūn dicionem Romanorum invasit.........is multum tempus.......

Et anno 1109° Graecorum Cyriacus patriarcha synodum unionis cum Iulianistis faciendae causa congregavit, et][1] Gabriel etiam qui Iulianistarum [patriarcha] nominabatur [cum] eo ad id concilium [venit.........] vir simplex et rebus saecularibus instructus[4]. Et, pace facta,....... Gabriel, id agentes ut eum ab opinione quam tenebat atque eos qui cum eo *erant* converterent, ita ut in omnibus rebus eadem quae nos confiterentur. Verumtamen ad

[1] E Mich. suppl. — [2] Ad litt. : «episcopos superavit». — [3] Vide textum, p. 251, n. 3. — [4] Requiritur potius «haud instructus».

[sancti]* Severi proclamationem *faciendam* difficiles se praebuerunt * p. 252. et ne distincte Iulianum proprio nomine anathematizarent *licentiam postulaverunt. His annuit patriarcha* [praeter] regulam strictam ad hoc *pertinentem* : dispensationem enim secundum id quod tempus exigit agebat, eosque [postea] defectum correcturos sperabat. Et sancitum est ut Cyriacus in ecclesiis eorum proclamaretur, et Gabriel [etiam in nostris], et uterque dicionem suam, ut tunc erat, retineret, donec unus ex eis obiret, et, qui [ex eis] alteri superesset, is fieret princeps ecclesiae. Et, postquam promissa confirmaverunt, surrexit Mār Cyriacus, et [ecclesiam][1] Ḥārrān [ingressus][1] Gabrieli eisque qui cum eo *erant* communionem dedit; et die sequenti, oblatione a Gabriele facta, [communicavit] *ipse* et coetus *eorum* qui cum eo *erant.* Verum erant nonnulli inter episcopos qui cum Cyriaco *erant* qui [unionem] non acceperunt, eo quod in Cyriacum male affecti erant; et nunc mentem suam manifestam facere potuerunt, in hac [re] quae accidit : sunt autem Bacchus terrae Cyrrhestarum, Zacharias Edessae, Severus Samosatorum, [atque] ei [etiam] qui a Cyriaco instituti erant, Theodosius Callinici et Philoxenus Nisibis. Hi hanc unionem constanter vituperabant et calumniabantur, et . . . . eum haereticum et Iulianistam vocabant; et, nisi eos *ab incepto* recedere fecissent socii sui, caedem [eius] perpetrassent. . . . . . Is autem, cum videret eos contra se murmurantes et dispensationem suam vituperantes, synodum [de eo] negotio congregavit, ad quam venit Gabriel, princeps Iulianistarum; et [Cyriacus eis quos nominavimus ut de eo quod poscerent cum Gabriele colloquerentur permisit. [Qui eis dixit] : «Oportet vos intellegere et cognoscere quod ego, nisi omnino *fidelis [essem], sciens veritatem * p. 253. apud vos esse, populum hunc, [qui mihi in rebus][1] mundanis [subiectus est,][1] non attraxissem et sub subiectione vestra adductum iunxissem. Sed, si [me solum] lucrari quaeritis, neque de universa factione Iulianistarum sermonem facitis, [ego] Iulianum scripto et absque scripto [anathematizabo] : sed noveritis ex eis qui [me] sequuntur multos, sive ob simplicitatem, sive ob ignorantiam, sive, quod verius est dicere, ... ob consuetudinem quae apud eos inveteravit, ad hoc [ipsum], ut Iulianum distincte anathematizent, difficiles se praebere.» Cui *rei* cum videret episcopos illos non consensisse, sed se ipsum cum episcopis Iulianum anathema-

[1] E Mich. suppl.

tizare cogere, passiones in eis absconditas intellexit; et, cum surrexisset, vestibus excussis dixit: «Nunc cognovi neque in Deo neque Dei causa esse strictae regulae observantiam [apud vos][1], sed ex invidia adversus principem vestrum, ne per [manus eius] eveniat bonum. [Et iam][2] a vobis requiret Deus sanguinem universi huius populi [cuius salutem][2] impeditis.» [Itaque] dissolutum est concilium illud, et unio irrita evasit.

Et anno 1115°, [tempore] Hārūn, erat forte vir quidam e tribu Qurais [nomine Ruwaiḥ, qui] Damasci [habitabat], et eius loca habitationis ecclesiae [Christianorum][2] propinqua erant. Is cotidie, [cum orationem audiisset,][2] e fenestra quae in domo sua erat pro-
*p. 254. spiciebat . . . . sacerdotem qui in ecclesia *erat* *[sacrificium mysteriosum] constanter celebrantem ac perficientem, [eo quod] in arcum *ecclesiae* globulos [e pulvere][2] a se confectos deiiciebat, [ut eum vexaret][2] molestiaque afficeret ex odio contra fidem nostram. [Et Deus] qui hominibus utilitatis causas praeparat [eius misertus est[2]. . . . .] finem qui futurus erat [. . . . . . . et ei visa est] oblatio quae super altare iacebat similitudo esse [agni][2] in ipsa patina quae super altare erat [immolati ac sanguine conspersi][2]. Et, [cum spectaculo . . . . .] tremefactus [ad sacerdotem descendisset][2], sic sedulo intuitus [agnum in particulas . . . . . dissectum et][2] in patina iacentem *ac* sanguine conspersum vidit; [presbyter autem non percepit : sed, cum ab eo didicisset][2] quod viderat, deinde ei [sancta mysteria] explicuit [. . . . .

Et mense . . . anni 1117° Graecorum[3] flavit] aquilo vehemens per decem circiter [dies. . . . .] fracti sunt; et semen illo anno *terram* non intravit, neque in Assyria neque . . . . die paschae[4].

Et eo anno et sequenti fuit schisma Gubbiorum quod [. . . . . . . Bacchus][2] Cyrrhesta, episc. ipsius regionis Cyrrhi, qui [ecclesiam]
*p. 255. iniuste administrabat . . . . et illegitime, et saepe a pio * Mār Cyriaco increpatus erat [et] a ministerio suo [amotus] : et, cum tandem per intercessionem quorundam episcoporum absolutus esset, is [rem in corde retinuit][2], dum occasionem quaerit quomodo et in qua re patriarcham molestia afficiat; et hoc *animo* [presbyteros] incitabat ut vocem «panem caelestem» proclamarent,

[1] Id sensus requirit. — [2] E Mich. suppl. — [3] Vide textum, p. 254, n. 4. — [4] Vel «ante pascham».

et hoc eius exacerbandi causa..... Et, cum advenit tempus eius ut moreretur, sacerdotibus et diaconis et populi nobilioribus suae regionis congregatis [sub anathemate mandavit][1] eis ne vocem hanc abolerent neve episcopum in loco suo reciperent nisi ex ipso [coenobio]. Et post mortem eius exiit discipulus eius, qui vocabatur Aksĕnāya, cum [aliis *viris* e] Gubba Barrāya, et, ad patriarcham in territorium Antiochiae profecti, asino et pera [et baculo][2] ipsius Bacchi ei oblatis postulabant ab eo ut loco Bacchi [super ecclesiam Cyrrhi] Aksĕnāyam sibi institueret. Huic rei patriarcha non consensit, sed dixit : «E coenobio vestro [regioni alii] *episcopum* creabimus, et e coenobio alio vobis ipsis, quia non secundum iustitiam est [ut regio][1] a coenobio [velut hereditas teneatur][1].» Itaque monachi cum [Aksĕnāya] regressi [ob] eam causam schisma fecerunt; et post *breve* tempus *virum* quendam [nomine Solomonem][1] episcopum eis institutum ad regionem [misit], quamvis invitis et eum *accipere* nolentibus. Hoc fecit instigatione [quorundam episcoporum[3]; et] vere dico, hic transgressionem fuisse et errorem. Sed tamen [multiplicatum est malum, non solum][1] quia episcopum non acceperunt, sed quia eos magis accendit; et [Cyrrhestae, *schis- * p. 256.
mate] constituto, proclamationem nominis Cyriaci intermiserunt. Et congregati sunt episcopi...... anathematizabant Cyriacum et deponebant, et instituerunt eis [etiam] Aksĕnāyam illum [inique], quia episcopatui non electus erat. Et [petitionem] iniquitatis scripserunt, verba impietatis et ad caedem incitantia, quam Hārūn regi obtulerunt dederuntque, in qua Cyriacum [accusabant]. Sed tamen Deus, cui semper salus eorum [qui] sibi in veritate [serviunt] curae est, qui per apostolos suos sanctos promisit, nobis scilicet......... : «Ecce ego vobiscum sum usque ad finem saeculi[4].»...... Cyriacus, sed, cum arcessitus esset, pacifice et cum misericordia receptus est....... Et [accusationem] contra eum in ipsa petitione[5] [faciebant], *nempe*, ab eo occisum esse [episcopum quendam qui vocabatur Simeon, qui in regionem Arabum institutus erat; ...., cum in ipsa regione ipse et duo e discipulis eius iter facerent, inciderunt forte [in eos latrones], quia mulorum in quibus vehebantur et perarum, quae plenae erant, cupidine affecti erant, [atque, tribus simul occisis,] cadavera

[1] E Mich. suppl. — [2] E Barh. suppl. — [3] E Mich., p. 488, ubi nomina leguntur, supplevi. — [4] Matth., xxviii, 28. — [5] ἀναφόρα.

eorum in via abiecerunt. Et hoc ipsum invenerunt [. . . . . et dicebant[1] . . . .] : «Patriarcha Arabes quosdam mercede conductos in eos misit qui occiderent.»

[Et hoc tempore[1] fuit] fames magna e causa quod nihil intravit e. : et demum bestias rapaces in homines misit Deus, quae, [si quae mulieres vel pueri exiissent,][1] die eos adoriebantur ac dilaniabant.

*p. 257. Patriarcha autem, cum [vidisset. . . . . se *a][2] rege cum misericordia [receptum esse][2], triginta episcopos in *vico* [Gubrīn] congregavit [propter causam] Gubbiorum, eosque [arcessivit] ad pacem vocaturus : et, cum non venissent, ... eos: et illi, qua erant insolentia et audacia, ... legibus etiam ecclesiae aperte contemptis, [duo sibi episcopos creaverunt, Gabrielem][1] Gubbium et alium qui vocabatur Theophanes [e monasterio Eusebunae. Id cum audiissent][1] patriarcha et episcopi qui in *vico* Gubrīn *erant*, ... omnes episcopos. . . . .

. . . .

. . . . praeceptorum sibi datorum [oblitus contumacibus se adiunxit. Et tunc congregati][1] qui bis depositi erant, spreto Deo et legibus [ecclesiae], eum falsum sibi principem : quod dicunt : seu patriarcham effecerunt; et exinde haeresis eorum stabilita ac fundata est, ita ut ecclesiae aculeus ac stimulus et legum eius corruptores fierent. Et tunc miser [Abraham][1] episcopos creare incepit, vacantes scilicet ac provinciis[3] carentes, eosque temere mittere, ut egressi [regionem] circumirent et hominum mentem corrumperent.

Et mense ādār anni 1120[1] [Graecorum] Hārūn rex mortuus est, in urbe Ṭus, quae in Khurāsān *sita est*, cum regnasset annos 23. Et [regnum suum] inter tres filios suos divisit. Muḥammad, *p. 258. Zubaidae filium, *regem creavit in *urbe* Baghdād, et ʿAbdallaham [Māmūn] super Khurāsān constituit (et mandavit ut post mortem Muḥammad is esset rex), [et Qāsim], filium suum, super cunctas regiones Gĕzīrthae et Occidentis in *urbe* Mabbug constituit, nesciens se [per hanc] causam contentionem inter eos iniecisse. Et post mortem patris eorum misit Māmūn legatum ad Muḥammad, fratrem suum, post patrem regnantem, ut ad se bona sua et divitias [quas]

[1] E Mich. suppl. — [2] Hoc sensus requirit. — [3] ὑπαρχίας, perperam pro ἐπαρχίας.

pater sibi [dedit], mille milia drachmarum, pro eo quod frater primus regnavit, mitteret, et ad se mitteret etiam familiam suam. *Id facere* noluit, sed eum ad se attrahere volebat, dum in corde fraudem nutrit, quoniam, pacta quae pater eis statuit transgressus, filios suos post se reges facere voluit. Is causa fuit belli quod per cupiditatem eorum incidit; et hac de causa ad bellum alter contra alterum sese paravit; et demum occisus est Muḥammad opera Ṭāhir filii Ḥusain, per manus *viri* cuiusdam qui vocabatur Dandānīr[1]. Et, cum hominibus notum esset ratione regni incidisse inter hos fratres contentionem, tumultus ac perturbatio in mundum inciderunt, et unusquisque prout poterat praedatur, diripit, latrocinatur. Huius *rei* causa et initium fuit quidam qui vocabatur ʿAmr, Sulaimī; qui ob seditiones caedesque Samosatis factas Callinici incarceratus erat. Is, de eo quod inter hos duos fratres Muḥammad et ʿAbd Allah acciderat certior factus, ad quendam propinquum suum *nuntium* misit, ut sibi equum suum et gladium adferret, eumque in loco quodam deserto[2], quales Callinici *plerique* exstant, collocaret; ipse autem a carceris praefecto *licentiam* postulavit ut exiret et sibi panem emeret: qui *virum* quendam cum eo misit custodiendi causa eumque vinculo ligavit. Et, cum exiisset, *custodem continuo longius abduxit, donec ad locum pervenerunt *p. 259. ubi erat equus ille suus; et gladio suo a consobrino[3] illo accepto occidit eum qui se ducebat, equumque conscendit et consobrinus alium, et aufugerunt; et Samosata recto itinere contendit : quae ingressus, ʿAbd Allah amīram qui ibi *erat*, cuius ope in carcere inclusus erat, occidit; et ex urbe cum eis qui se ei coniunxerunt egressus celeriter discessit et ad regionem Palestinae abiit, et omnes quibus praevalere poterant praedari, occidere, spoliare inceperunt; et hoc primum facinus audax *quod fecit* ʿAmr initium mali fuit quod in mundum incidit. Et haec facta sunt mense nīsān anni [1121[i]][4]. Quo tempore, cum hoc ad aures Naṣr filii Šabath ʿUqailī pervenisset, qui in Armeniae regione [defecerat] et vias praecludebat, celeriter profectus venit seque cum ʿAmr coniunxit, et [consociati] sunt ambo ad mundum spoliandum ac perdendum : et per regiones Palestinae et Syriae et Phoenices circumibant, per totam illam aestatem, praedantes et incendentes et occidentes. Et ......

[1] Al Dandani. — [2] Vel «aedificio quodam ruinoso». — [3] Ad litt. : «filio patrui» vel «avunculi». — [4] Vix aliter supplere licet.

Naṣr exercitum et socium, fuit ipse princeps sodalium suorum, et discessit et ad regionem [Sĕrug][1] ivit; et ʿAmr, Samosata profectus, arcem superiorem quae in eis est muro munivit.

Et anno 1122° mortuus est Nicephorus[2], imperator Romanorum; post quem regnavit super Romanos Stauracius[3], filius eius : fertur autem Nicephorus e populo Arabum fuisse. Et post quinque menses, quos Stauracius super Romanos regnavit, congregati sunt
*p. 260. [Bulgari] et ad urbem imperialem pervenerunt *cum eo dimicaturi. Et, cum exiisset Stauracius et cum [eis] dimicasset, in femore [percussus est; et] vulnere postquam sectum est inflammato obiit; et [post eum] regnavit Michael, Nicephori [gener], annum unum et menses septem. Dicunt nonnulli Procopiam, Nicephori [filiam], Stauracium fratrem suum veneno interfecisse, ut [Michael maritus suus, pro eo super Romanos][1], regnaret.

Et mense iyār [anni 1123[1] fuit defectio solis totalis[1].....

. . . .

[1] E Mich. suppl. — [2] In textu semper «Nicophorus» scriptum est. — [3] In textu semper «Stauricius» scriptum est.

II

CHRONICON IACOBI EDESSENI.

INTERPRETATUS EST E.-W. BROOKS.

Huius chronici fragmenta in Codice Musaei Britannici Add. 14,685 asservantur, qui saeculo x° vel xi° secundum Wright exaratus est. Auctor Iacobus Philoponus seu « laboris amans » appellatur, quem cum Iacobo Edesseno eundem fuisse, ut opinatus est Wright, ab excerptis Iacobi Edesseni operis apud Michaelem Syrum recitatis satis liquet. Canon ipse, qui fol. 10 *r* incipit, Chronici Eusebii Caesariensis continuatio est; ei praefatio, in qua Eusebii opus corrigitur et suppletur praefixa est.

In codice, ut nunc se habet, fragmenta prave ordinata sunt : fol. 12 *v* ante fol. 12 *r* legendum est, et fol. 18 *v* ante fol. 18 *r*, fol. 11 et 13 ex uno eodemque folio proveniunt, et similiter fol. 19 et 20; et duo fragmenta quae fol. 19 continentur inter se arctius coniungenda sunt.

Fragmenta non ultra annum 942um Sel. = 631um p. Chr. protendunt, sed Canon, ut a Michaele discimus[1], usque ad annum 1021um Sel. continuatus erat. Iacobum duobus antea annis mortuum esse ipse Michael notat, unde duos ultimos annos ab aliquo discipulo eius adiectos esse suspicatur. Iacobum autem iam anno 1003° Sel. = 692° p. Chr. Chronicon scripsisse adfirmat Elias Nisibenus[2]; quod si verum est, anni 18 continuatori adscribendi sunt. Canon annorum a Michaele exscriptus est, unde partes quae in codice desunt supplere facillimum est. Idem auctor e praefatione locos nonnullos qui in nostro codice mutili sunt integros recitat. Apud Eliam etiam Nisibenum sive e praefatione, quam Chronicon appellat, sive ex ipso Canone excerpta testimonia reperiuntur, quae ad calcem operis edidimus.

[1] Ed. Chabot, p. 452. — [2] Brit. Mus., Add. Ms. 7197, f. 88*r*.

Inter Canonis fontes recensenda sunt Socrates, Theodoretus, Chronicon Edessenum, Iohannes Ephesinus, Historia Zachariae Rhetori vulgo adscripta, et catalogi fortasse imperatorum, regum et episcoporum. In praefatione praeter Eusebium chronographis quibusdam Alexandrinis, Aniano fortasse et Andronico, usus est Iacobus, et catalogo, ut videtur, regum Persarum.

Praefationis exordium in Catalogo clarissimi Wright vulgatum est; Canonem ego ipse, anno 1899°, cum interpretatione anglica et commentario edidi : textus integer totius operis nunc primum vulgatur. Multa loca quae in priore Canonis editione lacunosa relicta sunt vel perperam suppleta nunc a Michaele supplevi ac correxi. Codicis dispositionem tum in textu Canonis tum in interpretatione, prout potui, imitatus sum; in interpretatione lacunas canonis annorum supplevi, in textu autem id facere operae non pretium visum est.

Notitia bibliographica :

Codicis descriptionem legas apud Wright, *Catalogue of syriac MSS. in the British Museum,* p. 1062-1064.

Editiones : W. Wright, *op. cit.,* p. 1062, 1063. London, 1872. Textus exordii.

E. W. Brooks, *The Chronological Canon of James of Edessa* (*Zeitschr. d. Deutschen Morgenländischen Gesellschaft*, Bd. LIII, p. 261 sqq. et p. 550). Canon cum interpretatione anglica. — Cf. etiam ibid., p. 534 sqq. (adnotationes Sigismundi Fränkel). — Vide etiam F. Nau, *Notice sur un nouveau ms. de l'Octoechus de Sévère d'Antioche et sur l'auteur Jacques Philoponus* (*Journ. asiatique*, ser. IX, tom. XII, p. 346 sqq.).

*CONTINUATIO CHRONICI EUSEBII CAESARIENSIS A IACOBO LABOREM AMANTI FACTA[1]. *p. 261.

Eusebius quidem Pamphili, Caesareae Stratonis, quae in Palestina *est,* episcopus, Chronicon illud magnum et universale et celebre cum omni diligentia ac studio, et, quoad homines tempora remota discernere atque intelligere possunt, cum omni accuratione fecit, et in eo numerum annorum et tempora et historias *rerum* quae eis *gestae sunt* ordinate disposuit, ab Adamo principe generis nostri usque ad annum primum vitae Abraham patris primi Hebraeorum, et usque ad Ninum regem secundum Assyriorum qui Niniven aedificavit, et usque ad Europem regem secundum Sicyonis, quae in Hellade *est,* Graecorum regione, e libris videlicet sacris Mosis qui apud Hebraeos *sunt,* et e libris historiarum Chaldaearum et Assyriarum et Aegyptiarum : cui etiam *Chronicon* aliud latius *atque amplius adiunxit, a tempore quod dictum est, Abrahami *p. 262.
scilicet patriarchae et Nini filii Beli et Europis regis Sicyoniorum, usque ad annum 20um Constantini Victoris imperatoris Romanorum; in quo multa regna commemoravit, omnia quae in Europa et in Libya et in Asia Magna dominata sunt, Chaldaeorum dico et Assyriorum, et Sicyoniorum, et Argivorum et Atheniensium, item Hebraeorum et Aegyptiorum, et Latinorum qui postea Romani, Medorum et Babyloniorum et Lydorum et Persarum, et cetera omnia quae post haec apud Graecos potestatem tenuerunt, Macedonum dico et Corinthiorum et Lacedaemoniorum, et ea quoque [quae post] mortem Alexandri aedificatoris [super Aegyptum] et Syriam et Asiam dominata sunt, necnon et regnum [Romanorum], a Iulio Caesare et Augusto Sebasto [usque] ad ipsum Constantinum Victorem; et [tempora] eorum secundum singulorum *regum* annos distinxit [ac disposuit], et tempora [durationis] et initium et dissolutionem et cessationem singulorum demonstravit, et rerum ab unoquoque [rege] ac duce gestarum memorias separatim descripsit,

[1] In. marg. superiore : «..... eorum diebus Alexandriae. Licinius foede e mundo exiit postquam regnavit annos 11; et Martinus occisus est postquam regnavit menses 3.» In marg. dextro : «Petrus episcopus ecclesiae Alexandrinorum in carcere erat ad martyrium; qui abscisso capite praeclare martyrium passus est anno [9° persecutionis.....] episcopus..... Ecclesiae Alexandrinorum episcopus XVIII^{us} stetit Alexander annos [11.......................»]

et quo tempore innotuissent singuli [sapientes][1] et scriptores qui in singulis populis insignes fuerunt, [et philosophi] et poetae qui apud Graecos *erant;* necnon [et historias Gigantum][2] et *res* mirabiles quae apud [eos] celebrantur, [et] virorum qui in scriptis[3] et apud scriptores qui inter eos *erant* proferuntur, [bella ac victorias][2], et
*p. 263. urbium aedificationes et * populorum captivitates, cum multis aliis rebus quae per omne tempus quod in Chronico ab eo *composito* inclusum est gestae sunt. Huic autem *Chronico* finem fecit, [ut] antea cognitum est, anno iam 20° Constantini; a quo tempore usque ad hunc diem nemo prorsus operam dedit ut Canoni ab eo *composito* tempora posteriora et commemorationes ad ea pertinentes adiciat. Ergo iustum esse pariter et necessarium aestimavi ut res ab illo tempore usque ad hunc diem gestas, quoad scilicet Deus opem dabit et vires sufficient, non inenarratas relinquam; sed, sicut is canonem dispositionis temporum descripsit, in quo illis temporibus[4] gesta summatim inclusit et annos regnorum unum contra alterum propinque disposuit, ita ut legentibus facile esset discere, qui quorum diebus exstent, sive reges sint sive duces sive homines sapientes sive scriptores sive ex eis qui in aliqua re quocumque modo illustres sunt, ita ego etiam similiter, ab anno 20° Constantini, canonem novum tempora posteriora complectentem disponam, et in eo annos regnorum quae in eo proferuntur unum contra alterum propinque ordinabo, eorum scilicet quorum series temporum durationis nobis notae sunt, et res quae singulorum tempore gestae sunt, et eos qui cum singulis ob quamcunque virtutem vel excellentiam famam obtinebant.

Cum vero necessarium sit ut quae ante hunc *Canonem* utilia sunt prius disponamus et praeparemus, haec ipsa prius dicamus ac monstremus. Quae autem ante Canonem ipsum requiruntur et utilia sunt haec sunt. Primum[5] de fine Canonis Eusebii, et de quantitate an-
*p. 264. norum * temporis quod in eo est, et quomodo numerari debeat hic novus noster, et ad illum adiungi; postea[6], ut quae regna illo tempore, ante tempus finis Canonis, cum regno Romanorum fuerint neque ab Eusebio integre commemorata sint demonstremus; post[7]

[1] E Michaelis Syri Chronico suppl. — [2] E Mich. suppl. — [3] In marg. : «[Complectitur] Canon tempus annorum ab Abraham et regno [Nini usque ad annum 636um Graecorum], qui est annus 20us Constantini.» — [4] In marg. : «Ab Adamo usque ad annum 20um Constantini, quod comprehensum est annis 5527.» — [5] In marg. : I. — [6] In marg. : II. — [7] In marg. : III.

hoc etiam, et quae sint regna quae nos in Canone disponemus cum ipsis imperatoribus Romanorum simul et contra eos, propinque unum contra [alterum]; postea etiam demonstratio distincta seriei temporum uniuscuiusque regni separatim *facta.* Itaque, cum haec omnia dicta et praeparata erunt, facile nobis erit etiam Canonem construere [ac disponere][1].

* DE CANONE QUEM FECIT EUSEBIUS, ET DE TRIBUS ANNIS QUIBUS AD FINEM EIUS ERRAT. *p. 265.

Scire igitur oportet eos qui canonem dispositionis temporum regnorum ab Eusebio factum legunt tres annos superfluos et a computationibus discrepantes in quantitate summae annorum qui in eo *sunt* ad finem eius positos reperiri : de quibus oportet nos quam maxima accuratione et laboris amore investigare, et quomodo sint superflui et quomodo errorem in computationibus faciant demonstrare. Oportet autem, ut opinor, etiam hoc facere : quia, quamquam sufficit error qui ab eis fit et computationum discrepantia ut eos superfluos *esse* demonstret, sed tamen per inquisitionem quoque de eis factam et per rei demonstrationes a scriptoribus antiquis *haustas* hoc demonstrare necesse est. De his igitur res ita se habet. Cum tempus potestatis regum [qui in] Macedonia regnaverunt, a Carano, primo qui apud eos *fuit* rege, usque ad mortem Alexandri, aedificatoris urbis Alexandriae, qui nominatur filius Philippi, sit annorum 490, ut ex eis videre licet quae Diodorus historiographus de eis narrat, et idem numerus *annorum* in Eusebii Canone poni debuisset, quoniam anno 3° Alexandri, regis X^{i} Corinthiorum, post Ilii vastationem annis 368, initium eorum ponitur, unus annus ex eis defecit, et in Canone nonnisi 489 anni *tantum scripti sunt : et, cum debuisset Alexandri mors contra annum primum Olympiadis CXIV^{ae} collocari, ut fuisse testatur etiam Porphyrius philosophus, dum res regum Macedonum[2] qui post mortem eiusdem Alexandri *erant* disponit, porro et initium regni Philippi Arrhidaei, fratris eius, qui post eum regnavit, anno 2° eiusdem Olympiadis CXIV^{ae} adscribi, hoc non factum est propter annum qui ab annis potestatis regum *p. 266.

[1] In marg. : «[Constantinus, cum regnum] solus [obtinuisset], urbem aedificavit, quae prius [Byzantium vocabatur, eamque] a nomine suo Constantinopolim [vocavit]. Et eo anno. . . . . . .» — [2] In marg. : «Hoc est Lagidarum qui Alexandriae steterunt. De regibus Macedonibus.»

Macedonum defecit; sed tum Alexandri mors tum initium regni fratris eius superius anno uno haud recte anteposita sunt, et ab hoc error unius anni in ipso Canone effectus est. Verba autem eiusdem Porphyrii de [regibus Macedonibus][1] sunt : [«Anno 2° Olympiadis CXIV^{ae}, post Alexandrum Macedonem regnat] Arrhidaeus qui [nominatus est Philippus, qui frater erat] eiusdem Alexandri, [non a matre,] a Philinna [enim quae e Larissa *erat*] Philippo [natus est; regnat] autem annos septem, et in Macedonia [a] Polysperche[2], Antipatri filio, occiditur. Ptolemaeus autem, Arsinoes et Lagi filius, post annum unum principatus qui Philippo adscriptus est satrapa [in] Aegyptum mittitur : et in satrapia quidem annos 17 priores agit, regnat autem annos 23, ita ut ei, usque ad mortem, *p. 267. universi anni 40 computentur; sed, quia *adhuc vivus Ptolemaeo filio, qui Philadelphus appellatus est, principatum concessit, et cum filio postquam principatum *is* accepit duo annos vixit, non iam 40, sed triginta octo *anni* Ptolemaei primi, quem Salvatorem appellabant, computantur.» Ergo ex his liquet et anno 2° Olympiadis CXIV^{ae} incepisse Arrhidaei principatum, et anno 3° eiusdem Olympiadis incipere Ptolemaeum, si 38 ei computantur. Alexandrini autem ei 39 adnumerant, quippe qui ab anno primo Arrhidaei numerare [incipientes] Arrhidaei [7] numerent, et [Cassandri] 12, item ipsius 20, qui contra Cassandri [annos 7] reliquos, et filiorum huius 4, [et Demetrii 6,] et Pyrrhi unum, et Lysimachi [2, universos] 20 annos, numerantur, et *cum* 19 prioribus, universos [annos 39. Ergo] hic quoque liquet apud hunc etiam annum [unum superfluum esse]. Cum igitur [Alexandri] mors uno anno qui de regibus [Macedonibus] *computatur* in Canone descendit detrahetur etiam a Canone annus alius [apud Ptolemaeum] primum, et detrahetur etiam ab ipso [Canone annus] alius superfluus qui [nepoti eius] Evergetae adscribitur. Aliter statim reperietur . . . . harum *rerum* explicatio superflua . . . . amplius dicentur, [non] oportuisse [annum] unum numerari [qui a regibus Macedonibus] defecit et in [Canone . . . . .] non positus est, sed . . . . *p. 268. ita ut incideret mors Alexandri [. . . . . * . . . . . in annum primum] Olympiadis [CXIV^{ae}, non autem in annum priorem, ut] in Canone . . . . Scriptus est autem] . . . . . . in

[1] Exstat Porphyrii catalogus apud Eus., *Chron.*, ed. Schoene, I, p. 160, 162, unde uncis inclusa supplevi. — [2] Polysperchonte.

Canone Eusebii], sive recte scriptus sive [non recte, annus] 1692us eiusdem Canonis contra annum ultimum Olympiadis CXIII^{ae}. Haec dixi ut demonstrem esse in ipso Canone mutationem annorum ab uno in alterum locum, et annorum additiones et defectiones. Quae [cum] ita sint, additio esse videntur hi duo anni qui tempori Lagidarum, qui *erant* post mortem Alexandri, in Canone adnumerantur. Hanc igitur ob causam hos omnino superfluos esse dicimus, neque in Canone computari debere, scilicet quia nec Ptolemaeus primus, qui Salvator vocabatur et filius Lagi, nisi 39 annos tantum regnavit, neque Evergetes nisi 25 annos; in Canone autem illi 40, huic 26, haud recte adscribuntur : praeterea quia neque Alexandrini hos duo annos numerant, neque universos annos Lagidarum, temporis dico quod *fluxit* a morte Alexandri usque ad mortem Cleopatrae et Augusti super Aegyptum dominationem, nisi 294 annos tantum computant. Adfirmant enim Alexandrini [esse] dominationem Cleopatrae et tempus potestatis eius 22 [annorum, ab] anno primo Olympiadis CLXXXII^{ae} [usque ad annum 3um * *Olym-* *p. 269. *piadis*] CLXXXVII^{ae}: ann. 4 priusquam regnaverit [Iulius], imperator primus Romanorum, 5 contra [annos] quos dominatus est Iulius, 13 [contra annos] priores Augusti; tempus autem [omnium Lagidarum], ut diximus, annorum 294 esse adfirmant, [ab anno] 2° Olympiadis CXIV^{ae} usque [ad annum 3um Olympiadis] CLXXXVII^{ae}. Post autem Cleopatram [tempus] quod Augustus super Aegyptum dominatus est adfirmant [esse annorum 43]; constat [enim] universos annos dominationis [eius esse annos 56] : in Canone autem [dominationi eius in Aegypto] non 43, sed 41 tantum adscribuntur; ita ut ex eis quae [diximus. . . . . . .] manifeste notum fiat duos alios annos [in Canone deficere. . . . .] Cleopatrae, cum eidem duo anni [a] Lagidarum tempore, hoc est contra annum 1[6]9[2um], detrahentur, et his postea additi erunt anni potestatis imperatorum Romanorum absque additione et defectu; quia scilicet etiam in his variationes multae discerni possunt, et additiones ac defectus in codicibus diversis cum aliis atque aliis *comparatis* inveniuntur : quamobrem tempus quod ex annis eorundem imperatorum Romanorum colligitur dubitatione non caret. Nam secundum dispositionem consulum qui temporibus potestatis eorundem imperatorum singulis annis steterunt ab anno primo Iulii Caesaris usque ad annum 20um Constantini colliguntur anni 375, a morte autem Cleopatrae usque ad * dictum annum *p. 270.

anni 357 : et secundum Eusebii sententiam in ipso Chronico eius *prolatam* et secundum dispositionem quae in eiusdem Canone *exstat*, similiter idem *statuitur numerus annorum*. Secundum sententiam autem ac computationem Alexandrinorum a Iulio, hoc est ab anno quarto Cleopatrae, usque ad initium regni Diocletiani, inveniuntur anni 331; a Diocletiano autem usque ad annum 20um Constantini 41 anni notantur, ut fiant universi anni 372; a morte autem Cleopatrae usque ad annum 20um Constantini colligunt Alexandrini annos 354, qui ab eis quos notat Eusebius tribus annis deficiunt. His igitur 354 annis, [qui] imperatoribus Romanorum, secundum Alexandrinorum computationes, colliguntur, cum additi erunt Lagidarum anni, qui secundum ipsos Alexandrinos sunt 294, colligentur universi anni 648 : a quibus [si] auferimus annos 12, qui ab initio regni [Philippi] Arrhidaei, Alexandri fratris, usque ad initium [regni] Seleuci Nicatoris, regis primi Syriae, [a quo] secundum librum [Machabaeorum] Graecorum aera incipere reputatur, *elapsi sunt*, manent anni 636, totidem *anni* quot [eodem] 20° [anno] Constantini aera [quae vocatur Graecorum] praeferebat. Annus igitur 1us aerae Graecorum est 1us annus Seleuci Nicatoris [. . . . . ab anno primo] Seleuci usque ad
*p. 271. mortem Cleopatrae sunt anni [282], ut *antea dictum est. *Anni* autem Romanorum etiam secundum Eusebium, si anno 13° Augusti occisa est Cleopatra, a morte eius usque ad annum 20um Constantini, sunt, ut dictum est, anni 357. Cum igitur *annis* 282 qui a Seleuco usque ad Cleopatrae depositionem *elapsi sunt* hi 357 additi erunt, colligentur 639, ita ut hac ratione ipso anno 20° Constantini inveniantur *anni* aerae Graecorum 639 anni. Sed hoc falsum est, ut a multis historiis et a notationibus quae in eis de ipso anno 20° Constantini *proferuntur* discere licet; hae enim eum in annum 636um Graecorum incidisse demonstrant. Si igitur hoc verum *est*, annos Romanorum tot esse, sequitur in *annis* Lagidarum esse hos tres annos superfluos. Si autem *anni* Lagidarum revera absque errore tot sunt, a morte quidem Alexandri ad mortem Cleopatrae anni 294, *a* Seleuco autem anni 282, sequitur *annis* Romanorum errorem inesse, eosque non tot esse, *scilicet* a Iulio quidem usque ad annum 20um Constantini annos 375, a morte autem Cleopatrae annos 357, sed ita tantum se habere, a Iulio quidem usque ad ann. 20um Constantini, ut supra dictum est, annos 372, a morte *autem* Cleopatrae usque ad ipsum dictum annum 20um annos 354;

unde, *cum* hi illis 282 adiecti erunt * qui a Seleuco usque ad Cleopatrae depositionem *elapsi sunt*, anno 20° Constantini anni 636 tantum nobis colligentur, quot *scilicet* erant tunc anni aerae [Graecorum], non autem 639, qui [e] Canonis dispositione nunc colliguntur. Si autem neque *anni* Romanorum falsi sunt [neque] etiam Lagidarum, sed a morte Alexandri usque ad [annum 20um] Constantini sunt revera tot anni, sequitur manifesto non [anno] primo Seleuci, regis primi [Syriae, incipere] annos aerae [Graecorum seu aerae] Edessenorum, ut in libro [Machabaeorum] habetur, [atque ut etiam] in ipso Canone notatum est, sed [anno] quarto eiusdem Seleuci, ita ut hac ratione anno quarto Olymp. CXVII^{ae} haec aera inveniatur incepisse. Ceterum, sive *anni* Romanorum falsi sint, sive Lagidarum, sive etiam notatio initii aerae Graecorum, sive etiam anni qui de regibus Macedonum *colliguntur* ante mortem Alexandri in Canone vel aucti sint vel diminuti, et, ob id quod in Canone mors Alexandri superius vel inferius collocata sit, in ipso Canone facta sit perversio : quamcunque causam statuamus esse quae in Canone errorem fecit, id omnimodo manifestum erit, tres annos superfluos in Canone exstare a tempore quod initium aerae Graecorum esse reputatur, hoc est ab initio regni Seleuci, usque ad annum 20um Constantini. Porro hoc ab eo quoque manifestum est quod Alexandrini initium regni * Diocletiani tribus annis superius collocant quam in Canone collocatum est, atque etiam aeram quam in . . . . . suis ab hoc numerant; anno enim 596° aerae Graecorum eius initium ponunt. Verum, pro omnibus his causis et dubitationibus quae de tribus annis superfluis qui in Canone exstant hic propositae sunt hoc tantum nunc proponetur et omnibus notum fiet : Alexandrinos annos a morte Alexandri usque ad annum 20um Constantini *elapsos* annos 648 tantum esse adfirmare, non autem 651, ut in Canone Eusebii stat; hoc est, Lagidarum annos 294, a morte Alexandri et initio regni Philippi Arrhidaei, fratris eius, usque ad mortem Cleopatrae, et 313 a morte Cleopatrae usque ad initium [regni] Diocletiani, et 41 quos anno 20° Constantini [aera] Diocletiani praefert. [Ergo, ut] omnibus noti fiant anni. . . . ., nempe regum Macedonum, non [eorum tantum qui] post Caranum *fuerunt*, sed eorum etiam [qui eum antecesserunt], qui a Macedone primo rege incipiunt, [et Aegypti regum] qui vocantur Lagidae, qui a morte [Alexandri usque ad] Cleopatrae [depositionem] *fuerunt*, atque etiam [im-

*p. 272. *p. 273.

peratorum Romanorum, ut] Alexandrini eos [numerant], en! eos tibi hic [disponam, et] faciam etiam summam omnium, a Mace- *p. 274. done [ad] Caranum, et a Carano ad Alexandrum, et ab *hoc usque ad mortem Cleopatrae, et exinde usque ad Constantinum.

REGES MACEDONUM. — Post descensum Heraclidarum, quidam ex eis qui vocabatur Macedo, filius Jovis et filius Thyiae, cum solus ab omnibus Heraclidis discessisset, et ad regionem quae tunc Aemathia, item Apiaria, vocabatur profectus *ibi* consedisset, super omnes qui ibi habitabant rex factus, regionem dominationis suae a nomine suo Macedoniam nominavit. Tenuerunt igitur dominationem super Macedonum regionem ipse et filii eius usque ad divisionem regni Graecorum. Initium autem potestatis eius in annum 7um post descensum Heraclidarum et annum 40um post Ilii vastationem incidit. Sunt autem unus post alterum et anni potestatis eorum ita :

	1. Primus Macedo, filius Jovis, annos 32.......	32
	2. Barcis et Phylocas, filii eius, simul, annos 40..	72
	3. Gorgias, filius Phylocae, annos 24..........	96
	4. Macedo, filius Parrhasii[1], annos 5...........	101
	5. Athyrus, filius Gorgiae, annos 28...........	129
	6. Arisbelus, filius Athyri, annos 41...........	170
	7. Plistarchus, filius Usi (?), annos 35..........	205
	8. Gynaeus, filius Plistarchi, annos 14.........	219
	9. Deucalus, filius Gynaei, annos 5............	224
	10. Balager, filius Lavati[2], annos 7............	231
	11. Qaphalin, filius Balagri, annos 12..........	243
	12. Nicaeus, filius Qaphalin, annos 26..........	269
*p. 275.	*13. Alisgatas, filius Nicaei, annos 37...........	306
	14. Cissus, filius Alcathi, annos 2.............	308
	15. Tharogus, filius Cissi, [annos] 7............	[315]
	16. Aranus, filius Aristodamini, [annos 13[3]......	328]

POST HOS CARANUS ET QUI [IN CANONE] EUSEBII NUMERANTUR :

1. Caranus, [annos 28[3].....................	28]
2. Coenus, filius Carani, [annos 12[3]...........	40]
3. Tyrimas, filius Carani, [annos 38[3]..........	78]

[1] Vel «Persis». — [2] In textu «Deucalai» (Deucali), corr. marg. : Elias Nisibenus (Brit. Mus., Add. Ms. 7197, f. 9) «Laucati». — [3] Ex Elia Nis. suppl.

4. Perdiccas, filius Carani, [annos 51[1] .... 129]
5. Argaeus, filius [Perdiccae, annos 38[1] .... 167]
6. Philippus, filius Atropi[2], [annos] 38[1] 205
7. Arrhidaeus[3], filius Philippi, annos 26 221
8. Alcatas, filius Orestis, annos 29 260
9. Amyntas, filius Alexandri, annos 50 310
10. Alexander, filius Amyntae, annos 43 353
11. Perdiccas, filius Alexandri, annos 28 381
12. Archelaus, filius Perdiccae, annos 24 405
13. Orestes, filius Perdiccae, annos 3 408
14. Archelaus, filius Orestis, annos 4 412
15. Amyntas, filius Archelai, annum 1 413
16. Hic regnavit etiam Aeropus, filius Pantarchi, menses 3.
17. Pausanias, filius Aeropi, annum 1 414
18. Amyntas, filius Arrhidaei, annos 6 420
19. Argaeus, filius Amyntae, annos 2 422
20. Amyntas, filius [Argaei], annos 18 440
*21. Alexander, filius Amyntae, annum 1 .... 441 *p. 276.
[22. Hic] regnavit [etiam .... [4]
23. Ptolemaeus Alyrites][1], annos 3 444
[24. Perdiccas, filius Amyntae, annos 6 450
25. Philippus, filius Amyntae, annos 27 477
26. Alexander, filius Philippi, annos 12 .... 490][1]

....

....

[1. Ptolemaeus, filius Lagi, annos 39 39
2. Ptolemaeus Philadelphus, annos 38 77
3. Ptolemaeus Evergetes, annos 25 102
4. Ptolemaeus Philopator, annos 17 119
5. Ptolemaeus Epiphanes, annos 24 143
6. Ptolemaeus Philometor, annos 35 178
7. Ptolemaeus Evergetes, annos 29 207
8. Ptolemaeus Soter, annos 36 243
9. Ptolemaeus Dionysus, annos 29 272
10. Cleopatra, annos 22 .... 294][1]

[1] Ex Elia Nis. suppl. — [2] Elias Nis. : «Aeropi». — [3] In marg. : «Aeropus». — [4] Nomen supplere non valeo. Ap. Eliam Nis. inter Alexandrum et Ptolemaeum nihil stat.

. . . .

. . . .

[2. Augustus, annos 43]	43
3. Tiberius, annos 22	65
4. Gaius, annos 4	69
5. Claudius, annos 14	83
6. Nero, annos 14	97
7. Espasianus, annos 10	107
8. Titus, annos 3	110
9. Domitianus, annos 15	125
*p. 277. *10. Nerva, annum 1	126
11. Traianus, annos 19	145
12. Hadrianus, annos 21	166
13. Antoninus, annos 23	189
14. Commodus cum filiis suis, annos 32	221
15. [Severus] cum filio suo Antonino, annos 25	246
16. [Antoninus], annos [4]	250
17. [Alexander, annos 13]	263
18. Maximinus, [annos 3	266
19. Gordianus, annos 6	272
20. Philippus, annos 7	279
21. Decius, annum 1	280
22. Gallus cum filio suo, annos 2	282
23. Valerianus cum filio suo, annos 15	297
24. Claudius, annum 1	298
25. Aurelianus, annos 6	304
26. Tacitus, menses 6	305
27. Florianus, dies 80.	
28. Probus, annos 6	311
29. Carus cum filiis suis, annos 2	313
30. Diocletianus, annos 21	334
31. Constantinus, annos 20	354][1]

. . . .

. . . .

. . . .

[1] E Mich., p. 129, et El. Nis. suppl. In Canone Constantinus 35us est, sed numeros aliter restituere non possum : pars catalogi quae in codice exstat a scriba fortasse abbreviata est. Si Marcum, Pertinacem, Antoninum Caracallam, et Macrinum cum Eusebio adicimus, rectum numerum habemus.

[Eusebius quidem anno quarto Olympiadis CCLXXI^{ae} annum] primum initii regni Constantini Victoris, porro [et annum] 20um eius anno 3° Olympiadis [CCLXXVI^{ae} collocat] : Socrates vero, *ecclesiae historiographus, initium regni eius annis 3 superius *p. 278. collocat, *nempe* anno primo eiusdem Olympiadis CCLXXI^{ae}; ita ut hac ratione annus 20us eius in annum quartum Olympiadis CCLXXV^{ae} incidat, non autem in *annum* 3um *Olympiadis* CCLXXVI^{ae}, ut in Canone ponitur. Et de his tribus annis superfluis qui in Canone ponuntur haec satis sunt.

QUAE REGNA FUERINT TEMPORE QUOD FINEM CANONIS EUSEBII ANTECEDIT, CUM REGNO ROMANORUM, QUAE EUSEBIUS IN IPSO CANONE INTEGRE NON COMMEMORAVIT, ET QUAE POSTQUAM FINITUS EST CANON.

Quae autem regna tunc fuerint ita dicemus, *nempe* ex quo mortuus esset Darius, rex ultimus Persarum, et Alexander regnum eorum exstirpasset et cessare fecisset, et eos potestati regni Graecorum seu Macedonum subegisset, omnino cessavisse, ut *ita* dicam, cuncta regna populorum, qui in Asia *sunt*, qui eo usque, tempus haud parvum, Persarum dicioni subiecti erant omnes. Brevi autem tempore ex quo regnum Persarum destructum erat et ei sub dicione Graecorum fuerant transacto, aliquantulum ad se redierunt et *secum* reputaverunt regnum quidem Persarum, [quod] sibi et genere et regione propinquum esset seque *tempus [longum] subie- *p. 279. cisset, iam omnino eversum esse *atque* abolitum; *regnum* [autem] Graecorum, quod potestatem super se recenter accepisset, atque a se longe et [genere] et regione distaret, inter multos divisum esse et apud se ipsum turbari, [cum] reges qui in eo [stabant alter adversus alterum] pugnarent, [quorum alii] in Macedonia, alii [in Epiro[1], alii in] Thessalia, alii in Thracia, [alii in Asia[1], alii in] Aegypto, alii etiam in Syria regnabant; [ipsosque Syriae *reges*, qui propinqui *esse* videbantur, bello adversus ceteros reges Graecorum omnium vehementissimos esse. Et, cum talia animadvertissent populi qui regno Persarum quondam subiecti erant, a Graecis multi desciverunt; et, cum sibi ipsi libertatem dedissent,][2] statim regnum in regione [sua], plena potestate usi, sibi quisque seorsim

[1] E Mich., p. 76, suppl. — [2] Sensum e Mich. supplevi : Iacobum paullo aliter scripsisse e reliquiis patet.

constituerunt, animose simul et [absque] metu : et alii quidem nunc, alii autem post breve [tempus], a Graecis defecerunt. Sunt autem qui ita animum sumpserunt [et] sibi regnum constituerunt primi quidem Parthiae, regionis Medis vicinae, regioni Persarum a septentrione *confinis*, incolae, quippe qui, postquam 74 annos Graecis subiecti sunt, anno 62° aerae Graecorum sive Edessenorum, cum a Macedonibus descivissent, regem sibi constituerint quendam e
*p. 280. suis qui vocabatur Aršaq : qui, cum *regnum eorum valde confirmasset, ut cuncti reges qui post se *fuerunt* Arsacidae appellarentur fecit. Etenim Eusebius etiam hunc commemorat, dicens eum descivisse et a Macedonibus defecisse et regem factum esse; et in ipso Canone eum tempore quod dixi contra annum 11um Antiochi Dei, regis III^i^ Syriae, cum super Aegyptum regnaret Ptolemaeus Philadelphus, super autem Macedoniam Antigonus, notavit [1]. Praedationes igitur et bella quae reges hi Parthi adversus reges Graecorum, qui Antiochiae erant, per omnem Syriam faciebant, Eusebius etiam ex parte commemoravit, quippe qui et Aršaq nominet et Lephacephrum, eorundem Parthorum regem ultimum, in Canone temporum notaverit et Barzaphramnem [2], *qui* dux *erat* [super] eos qui in regionem Syriae et Palestinae adscenderunt eamque populati sunt tempore quo Augustus super Romanos regnabat, et Hyrcanus super populum Iudaeorum dominabatur, qui etiam ab ipsis Parthis tunc in captivitatem abductus est. Series autem horum regum alterius post alterum et nomina eorum. . . . . non disposuit, eo quod nullum [historiographum] de eis narrantem invenerat.

Eodem [modo etiam populus] [3] Hyrcanorum qui ipsis [Parthis] contigui [sunt. . . . .] ipsi [terrae eorum] a septentrione confines, [cum vidissent ⌜plenam potestatem [4] quae] [3] Parthis [facta erat. . . . .⌝ipsi
*p. 281. etiam regnum] [3] sibi [seorsim] [3] constituerunt, [et modo *se cum Parthis adversus Graecos conjungebant, modo etiam adversus illos stabant.

Et Armeni quoque, hos aemulati, in Armenia usque ad mare Hyrcanum et in montibus qui Caucasii vocantur et partibus etiam Iberiae, quae et Gurzan, regnum sibi constituerunt; et ex eis stete-

[1] *Chron.*, ann. 1766, 1769. — [2] Barzapharnem (Jos., *Ant.*, XIV, XIII, 3); cf. supra, p. 83, l. 17. Neque huius neque regis Parthorum ultimi mentio in Eusebii reliquiis exstat. — [3] E Mich. suppl. — [4] αὐθεντία.

runt, ex uno genere, reges 9 : Khosro, Tĕrtad, Khosro, Tiran, Ašaq[1], Pap, Urastat[2], Ašaq[1], Valašaq[3]. Tunc, cum regnum ultimum Persarum rursum praevaluisset, ne se converterent Armeni et cum regno Romanorum per Christianismum coalescerent, bellis eos constrinxerunt et subiecerunt, donec dominationem eorum omnino cessare fecerunt, et neque militem ex eis apparere sinebant, sed eos velut servos tenebant. Et in regione Armenorum ita incepit regnum Armenorum atque ita cessavit.

In regione autem Mesopotamiae quae vocatur Osrhoene ab anno 180° aerae Graecorum, antequam cessaret regnum Graecorum quod in Syria *exstabat* annis 40, regnante super Alexandriam Ptolemaeo Evergete, VII° Lagidarum, et super Syriam Antiocho Sidete, et super Iudaeos Simeone, fratre Ionathis, cum infirmum factum esset genus eorum qui Edessae erant, qui vocabantur Syromacedones, qui cum Alexandro Magno ex Edessa Macedoniae descenderunt et Urhāy (Edessam) aedificaverunt, eamque a nomine urbis suae Edessam vocaverunt, cum nemo ibi e genere graeco inventus esset qui perstaret et regno Graecorum quod in Syria *erat* honorem conservaret, praevaluit populus qui iam diu illic consederat *ar- *p. 282.
meno de genere, atque et ipsi, Parthorum honorem aemulati[4], in ipsa Edessa quendam e suis cui nomen Abgar, animosum et fortem ac bellorum peritum, regem constituerunt. Hic et filii eius post eum tempus 380 annorum, ab anno 180° Graecorum ad annum 560um eiusdem aerae, usque ad Babylonis fines dominati sunt : et dominati sunt reges illi qui Edessae *erant* etiam super Armeniae regionem, donec et ei sibi regem constituerunt : et nomine hoc «Abgar» multi vocabantur, quia Abgaris magni et primi amorem retinebant. Sub manu igitur Romanorum subiugati sunt rursus Edesseni et reges eorum ab anno 477° aerae Graecorum, ab anno 7° Lucii, imperatoris Romanorum, quo tempore cum Parthis pugnavit Lucius eosque vicit et subiecit : rege autem caruerunt et omnino abolitum est regnum eorum anno 5° Philippi, imperatoris Romanorum, anno 560° aerae Graecorum. Diebis Abgaris Severi regnum eis ablatum est, quando Romani hunc expulerunt quia ab eis deficere voluit, *et* Aurelianum, filium Ḥabsāy, praesidem[5] pro rege creaverunt, postquam eis [tributum] subiectionis imposuerunt. Itaque cessavit

[1] Aršaq. — [2] Varazdat. — [3] Valaršaq. — [4] Id sensus requirit : vox syriaca corrupta videtur; vers. arab. «honore contempto»; legendum fortasse ܫܒܗܪܘ, et vertendum «honore gloriati». — [5] ἡγεμών.

regnum Edessenorum, postquam 380 annos, ut dixi, perduravit, anno 560° Graecorum, anno 5° Philippi, annis 1000 post aedificationem Romae completis. Harum *rerum* nullam prorsus mentionem fecit Eusebius, sed ita paucis *verbis* dixit : « Super Edessam regnavit *p. 283. Abgar, vir *sanctus, ut narrat Africanus[1]. »

Verum, antequam cessaret regnum Edessenorum annis 22, anno 538° Graecorum, anno 7°[2] Alexandri filii Mammaeae, cum alia regna in regionibus Orientis oriri inciperent, stetit subito et praevaluit regnum ultimum Persarum, et usque ad Indorum fines dominatum cuncta regna harum regionum cessare fecit. Cum igitur hoc regnum anno 538° Graecorum stetisset, et cuncta regna, Parthos dico et Hyrcanos et Medos et eos qui Margianam *habitabant* et qui Heru[3], et Huzāye et Chaldaeos et Assyrios subiecisset, tunc inceperunt reges hi animosi in regiones Syriae et Mesopotamiae, quae Romanis subiectae erant, adscendere, ut eas popularentur vastarentque. Et etiam huius *rei* mentionem partim litteris mandavit Eusebius eo quod Saporem regem secundum in Syriam et Ciliciam et Cappadociam adscendisse notavit[4].

Haec omnia regna in regionibus Asiae Magnae his temporibus steterunt, eis exclusis quae in regionibus Indorum *fuerunt*, porro etiam septentrionalibus quae in regionibus Sericae quae vocatur Tesešnistān (?)][5]. . . . .

. . . .

[Iulianus] autem, cum [die 3° kānun[5] prioris] imperator factus esset ([fuit] autem Caesar, antequam imperator fieret, annos 4), *p. 284. [annos 31 natus][5], *consulatu suo quarto et Sallustii, [*die* 26° tāmmuz[6] occisus est.] Erat autem regni eius annus 3us, [et ex] quo Caesar factus est [7us]. Verum numerantur ei anni [2].

Iovianus autem, cum die 27° tāmmuz post mortem Iuliani [uno die] imperator factus esset et dominatus esset 7 menses tantum, consulatu suo et nobilis Varroniani filii sui, mense šĕbāṭ *die* 17° [mortuus est]. Erat autem 39 annus *natus*. Verum in summa annorum contra eum adscribitur annus unus.

Post hunc regnat Valentinianus (Vus)[7], et regni consortem

[1] *Chron.*, ann. 2234, 2235. — [2] Mich. «primo»; sed cf. p. 287 (textus). — [3] Herat. — [4] *Chron.*, ann. 2275. — [5] E Mich. suppl. — [6] E sequentibus ita cum Elia Nis. (ed. Lamy, *Bull. de l'Acad. royale de Belgique*, 1888, p. 575 sqq.) supplendum videtur. Socrates autem, quem recitat Elias, habet «Iunii», eique reliqui auctores consentiunt. — [7] In marg. scriptum.

secum adsumit Valentem fratrem suum : et ipse quidem Romam proficiscitur, Valentem autem Constantinopoli regnantem relinquit. [Valentinianus] igitur, cum [Romae] potestatem tenuisset annos 12, [et] cum eo [Gratianus filius eius annos 2, post consulatum Gratiani et Equitii, *die* 17° tešrīn posterioris mortuus est].

. . . .

. . . . [aerae autem] Graecorum erat annus 719us. Erat[1] [autem quando] mortuus est annorum 31. Verum in [summa annorum] numerantur ei [anni] 13.

Honorius autem, cum Romae potestatem tenuisset cum fratre [annos] 13, postea paullo minus quam 17 annos, universos [annos 30,] consulatu Asclepiodoti * et Marini, [*die* 15°] mensis āb *p. 285.
mortuus est. In regno autem reliquit, qui Caesar *tunc* erat, Valentinianum puerum, filium Flaccillae maioris, Arcadii quidem et Honorii sororis, Theodosii autem maioris filiae, et filium Constantii, qui eis adfinis fuit.

Post Arcadium regnum accepit Theodosius (VIII^us^)[2], filius eius, qui erat 8 annorum tantum. Cum autem cum patruo Honorio annos 17, cum consobrino[3] Valentiniano annos 25, universos [annos 42,] regnasset, [consulatu Valentiniani septimo et Avieni, *die* 11° tāmmuz mortuus est : post quem regnavit Marcianus[4].]

. . . .

. . . . Et hoc [regnum] ex omnibus [historiographis neminem] invenit qui commemorat vel qui disponit et monstravit seriem regum et tempora potestatis eius. Tertio etiam, quia is tempora remota narrare et [ea quae] dubia erant et ignota omnibus tradere studuit; et, quamquam serie [annorum] usque ad sua tempora descendit, et. . . . . ea scilicet quae a multis. . . . . et transmittuntur. . . . . alii quoque. . . . .

. . . .

* . . . . *p. 286.

. . . . judicavi necessarium esse etiam . . . . de temporibus regni Persarum, [et de] singulis [regibus] qui in eo *alter alteri* successerunt, dum genus ac numerum eorum [. . . . . .commemoro][5], et singulorum alterius post alterum [annos et menses et] dies distinguo, et [quo tempore] in-

[1] Sc. Arcadius. — [2] In marg. scriptum. — [3] Ad litt. : «filio amitae». — [4] Ex Elia Nis. (ed. Lamy) suppl. — [5] Id sensus requirit.

ceperit et quo etiam cessaverit, ita ut. . . . . .tempora eius contra tempora [imperatorum Romanorum. . . . .] singulorum annos seorsim. . . . . inter se. . . . . .eorum et summam [annorum]. . . . .

[1. Ardašir, filius Pabeq, annos 15.	15.
2. Sapor, filius Ardašir, annos 31.	46.
3. Hormizd, filius Saporis, annos 2.	48.
4. Warahran, *filius Hormizd*, dies 17.	
5. Warahran, filius Warahran, annos 16.	64.
6. Warahran Segangšah, menses 4.	65.
7. Narsi Garmanšah, annos 7 et mensem 1.	72.
8. Hormizd, filius Narsi, annos 7.	79.
9. Sapor, filius Hormizd, annos 69.	148.

A summa annorum imperatorum Romanorum et regum Persa-
*p. 287. rum *annum 20um Constantini annum 19um Saporis fuisse liquet. Ab anno enim 7° Alexandri filii Mammaeae usque ad 20um Constantini inveniuntur anni 98, et a primo Ardašir usque ad 19um Saporis similiter 98. Et, cum hic Sapor annos 69[1] regnaverit, et initio Canonis nostri annus 20us eius primus inscribendus sit, hunc Canonem ex annis Saporis 50 continere liquet; ab anno enim 21° Constantini initium eius sumitur, qui est consulatus ipsius septimus, filii autem Constantini][2] Caesaris 3us; [quod autem ad Persas attinet, *est* annus 20us][3] eiusdem Saporis, regni [Sassanidarum][3] regis IX^{i} : aerae autem Graecorum est [annus] hic primus annus 637us, secundum computationem Olympiadum est annus primus Olympiadis $CCLXXVI^{ae}$, aerae Antiochenorum *annus* 374us, *aerae* Diocletiani est *annus* 42us.

Constantinus duos filios suos seniores Constantinum et Constantium Caesares creavit.

[1] Sic e «70» correxi, ut Canon et contextus requirunt. — [2] E Mich. et El. Nis. suppl — [3] E Mich. suppl.

*p. 288. *Constantinus imperator ecclesiis et [monasteriis][1] ac viduis, et omnibus qui ministerio divino addicti erant diaria distribuit et adsignavit.

Constantinus in omnia loca et ad omnes episcopos litteras de [pace] ecclesiarum [misit], et etiam Macario episcopo Hierosolymorum de aedificatione [ecclesiae] Salvatoris nostri; et [mandavit] episcopis [et mandavit etiam] Eusebio ut libros sacros [in ordinem redigerent][1].

PERSARUM Sapor ann. 69.	ROMANORUM Constantinus ann. 32.	SUMMA ANNORUM.
	Olympias CCLXXVI.	
20	21	1
21	22	2
22	23	3
23	24	4
	Olympias CCLXXVII.	
24	25	5
25	26	6
26	27	7
27	28	8
	Olympias CCLXXVIII.	
28	29	9
29	30	10
30	31	11
31	32	12

Episcopus XIX^us notus [erat] Edessae [Aitallāha][1]; Nisibi [autem Iacobus][1]: qui ambo [synodo Nicaeae][1] adfuerunt. . . . .

. . . .

. . . . stetit. . . . .

. . . . . ius[2]. . . . . imperator. . . . .

. . . .

non propter inventionem [Crucis. . . . .] propter aedificationem. . . . .

. . . .

[1] E Mich. suppl. — [2] Aut de Eustathio Antiochiae aut de Macario Hierosolymorum sermo esse videtur.

p. 289. *[. . . . . rediit] Athanasius, [initio] regni Constantini novi: etenim [imperator] etiam qui obierat eum reducere paratus erat. Alexandrinis etiam per litteras misit imperator ut eum acciperent.

xxxvi^us Constantinus cum fratribus suis ann. [24][1].

Olympias CCLXXIX.

32	1	13

[Episcopus xxxiii^us] stetit in ecclesia [Romanorum] Iulius annos 15.

Episcopus xlii^us stetit in ecclesia Hierosolymorum Maximus; huius oculus dexter persecutionibus paganorum evulsus[2] erat.

Episcopus xxi^us stetit in ecclesia Edessae post Ḥabsāy Barni.

Hoc [tempore] ad Christianismum attrahuntur etiam Iberi, per mulierem quandam christianam ad illam regionem captivitatis modo profectam.

Hoc tempore etiam Sapor persecutionem instituit contra Christianos qui in omni terra sua *erant*, et ea *persecutione* multi pro Christo martyrizantur.

Sapor contra Nisibin bello adscendit, et ab ea pudefactus revertitur per preces Iacobi episcopi. Et statim furore profectus omnem regionem [Mesopotamiae] diripit et vastat anno [649°].

Hoc tempore haec synodus congregata est.

p. 290. *. . . . .

[Cum autem in] exsilium [relegatus esset] Eustathius, [Antiochiae] episcopus, vivente magno Constantino, orthodoxi pro Eustathio [Paulinum] creant, [Ariani] autem Eulalium instituunt; qui cum paulisper [vixisset, Euphronium] pro eo constituunt. Cum autem neque hic [diu vixisset][3], Flacciltelas[4] pro eo ab Arianis factus est; quo mortuo, Stephanum creant. Et Ariani cunctas Antiochiae ecclesias obtinebant; Paulinus autem [unam] tantum parvam [obtinebat].

Constantinopoli [autem,] cum obdormiisset Alexander, qui annos 23 *ecclesiam* administravit, orthodoxi Paulum creant, Ariani autem Macedonium: [et] Paulo ab [Arianis] expulso ingressus est Macedonius, ... in medio erat . . . . Eusebium [Nicomedia Constantinopolim] adduxit et ambos destituit.

[1] E Mich. suppl. — [2] [illegible] hoc sensu alibi non inveni. — [3] Hoc sensus requirit. — [4] Flaccillus seu Placitus, quae duo nomina saepe apud Syros confundi videntur.

*p. 291. *Synodus [Antiochiae fuit,] et fecit dedicationem.

Constantius[1] imperator ad Arianorum opinionem [inclinavit, et] per eum [fecerunt] quodcunque [voluerunt].

Athanasius statim secunda vice relegatur : qui, cum fugisset, ad Iulium Romam profectus est; et apud eum [fuit] Constans imperator qui propter Athanasium synodum Sardicae [congregavit]; et [duo][2] episcopi Roma Antiochiam [ad] Constantium a Constante mittuntur, [Euphratas][2] et Vincentius; [contra quos] dolum [paravit Stephanus][2].

PERSARUM Sapor.	ROMANORUM Constantius.	SUMMA ANNORUM.
33	2	14
34	3	15
35	4	16
Constantinus imperator natu maximus mortuus est cum regnasset annos 3.		
Olympias CCLXXX.		
36	5	17
37	6	18

Mortuo Iacobo episcopo Nisibis, stetit pro eo Walgeš.

Hoc tempore Antonius solitarius vita ascetica clarebat.

*p. 292. * . . . .

[Cum Constans 6 annos Romae regnasset, et regnasset etiam cum patruo suo Constantinus][3] minor, filius [fratris eius Constantini,][3] annos 3, consiliis Magnentii et Bretanionis[4] [a militibus][2] ambo occiduntur : porro autem [Nepotianus], qui de genere erat imperatorum [et] Romae [sibi] principatum adsumebat, a Magnentii [militibus occiditur]. Magnentius igitur totam Italiam atque Africam [gubernabat], Bretanio autem Sirmii proclamabatur.

Constantius autem imperator, cum haec omnia [audiisset], contra tyrannos confestim profectus est; quos cum [proelio inito vicisset], solus [regnavit].

[1] Ms : «Constantinus». — [2] E Mich. suppl. — [3] E Mich. suppl. Locum Socr., II, 25, cum prava lectione Κωνσταντῖνος male intellexit Iacobus. — [4] Vetranionis.

	PERSARUM Sapor.	ROMANORUM Constantius.	SUMMA ANNORUM.	
Constantinus[1] cum Francis proelium committit eosque devincit. Et eo anno terrae motus fuerunt multi in Oriente, praesertim Antiochiae, per totum annum.	38	7	19	....
	39	8	20	Athanasius [tertium relegatur, et] Ariani Georgium [opinionis] suae [participem pro eo ....] Alexandriae creant.
		Olympias CCLXXXI.		
p. 293. *Annus 660us Graecorum. Eo aedificavit Constantius in Mesopotamia Amidam urbem. Et eo anno fuit inter Romanos et Persas proelium nocturnum.	40	9	21	[Sunt] qui dicunt anno 658° Graecorum aedificatam esse Amidam urbem[2].
	41	10	22	
	42	11	23	
	43	12	24	
		Olympias CCLXXXII.		
Fit synodus Mediolani propter fidem et propter Athanasium : et symbolum fidei Nicaeae *sancitum* conservant et Athanasium absolvunt.	44	13	25	Episcopus XXXIVus stetit in ecclesia Romanorum Liberius annos 7. Hoc tempore Nisibi notus erat Ephrāim doctor
	45	14	26	
	46	15	27	

tributi et vectigalis quae obtinebat neque aurum neque argentum in manibus hominum remanserat. Et illis diebus egressi sunt lupi rapaces et multos homines devoraverunt; et rector iniustus plumbi sigilla in collo omnium hominum regionis suae suspensit, ut eos vexaret et opprobrio ac contumelia adficeret. Et homines multum adflicti in magna adflictione ac tribulatione manserunt, et ad Deum clamaverunt, et supplicatione facta lacrimas Deo obtulerunt, ut a se adflictionem in qua involuti erant amoveret. Et Deus misericors lacrimas eorum accepit et supplicationem audiit, quia « corde confractis propinquus est », et « cor contritum Deus non reiicit »[3]. Vindictam in eum intulit, et subito eum interfecit; et homines misericordiae ac clementiae expertes Deus in eum dominari fecit, qui cunctas possessiones eius vendiderunt, et vendiderunt fratres eius et filios et filias, et uxores eius et concubinas, et omnes divitias quas possidebat praedati sunt et diripuerunt; et fuit ei finis malus et acerbus; et Dominus iniquitatem eius in caput eius vertit, et mortuus est et ad gehennam abiit.

[1] Cf. supra, p. 248 (textus), et Dion., ed. Chabot, p. 92, etc. — [2] *Prov.* XXVIII, 15.(?) — [3] *Ps.* XXXIV, 18; LI, 17.

Dominus *est* qui non parcet; et nos, fratres, in omnibus tribulationibus et adflictionibus nostris ad Deum nostrum misericordem confugere debemus, eumque orare et obsecrare ut, quamquam peccamus, nos exaudiat, et nostri misereatur, neque faciem suam a nobis avertat; et ut nos a malis ad bona convertat, et det nobis ut animas nostras possideamus, neque in perniciem recidamus; et debita nostra et peccata remittat, et parcat nobis, et parcat defunctis nostris, et omnibus defunctis fidelibus, per preces et supplicationes Virginis sanctae Dei genetricis Mariae, Christianorum decoris, et precibus omnium sanctorum. Et Deo *sit* gloria in saecula saeculorum, Amen! — Finita est haec narratio tribulationis.

IV

EXPOSITIO

QUOMODO SE HABEANT GENERATIONES ET FAMILIAE ET ANNI AB ADAMO USQUE AD HUNC DIEM.

INTERPRETATUS EST E.-W. BROOKS.

Hoc breve Chronicon in codice Musaei Britannici Add. 14,683, fol. 93 *r*–102 *r*, asservatur, qui codex, Wright iudice, saeculo x° exaratus est, et ab Abraham seu Ephrāim, Alexandriae Coptorum patriarcha (975-978)[1], monasterio Scetensi Syrorum dono datus est (vide p. 349 textus, n. 6). Usque ad annum 724um praeter catalogos patriarcharum, iudicum, regum, imperatorum, et calipharum nihil fere continet; sed exinde ad annum 775um, ubi desinit, breves notitias historicas, quae coaevi auctoris opus esse videntur, exhibet. Chronographo quodam, qui in dicione Persarum anno 505° scripsit (vide p. 347, l. 4-7), usus est auctor, et a p. 338, l. 23, ad p. 345, l. 23, Librum Generationis[2] fere verbatim exscripsit.

Codicis descriptionem legas apud Wright, *Catalogue of Syriac MSS. in the British Museum,* p. 610-612; ubi etiam notula de donatione codicis recitata est.

Textus chronici nunc primum vulgatur.

[1] Gutschmid, *Kleine Schriften,* II, p. 510, 511. — [2] Frick, *Chronica Minora,* I, p. 36-54.

*Quia autem veritatis famulos omnibus quae veritati congrua sunt instrui oportet, hoc et mihi curae fuit, fratres et dilecti, ut a Libris sacris ea quae congrua sunt breviter colligamus et diligentiam vestram aedificemus, ut per paucas demonstrationes veritas earum rerum quae necessario desiderantur apud nos reperiatur, et contentio quae ab ignorantia nascitur et mentem eorum qui eam possident obscurat cesset, *ita* ut nos, qui veritatis amore veritatem cognoscere cupimus, populorum divisionem et patrum prosapias cognoscamus; atque etiam *terrae* occupationis [tempora]; et iudicum potestatem; et tempora regum ac prophetarum, et quorum regum diebus fuerint singuli; et captivitates quae populo acciderunt, quorum regum diebus ac prophetarum, et quorum sacerdotum; et quomodo semen patrum deducatur et in Christo consummetur; et quot anni a constitutione mundi usque ad hunc diem numerentur. Omnia igitur breviter ostendemus, non peritia propria, sed testimonio e scripturis *hausto*. *p. 337.

Incipimus igitur sermonem nostrum ab initio creationis. «Hae *sunt* generationes caeli et terrae. Die quo Deus Adamum creavit, ad imaginem Dei eum creavit; marem et feminam creavit eos[1].»

Et Adamus vivit 230 annos et genuit Sēth.

Šēth vivit 205 annos et genuit Enoš.

Enoš vivit 190[2] annos et genuit Qainān.

Qainān vivit 170 annos et genuit Mahalalĕēl.

*Mahalalĕēl vivit 165 annos et genuit Iāred. *p. 338.

Iāred vivit 162 annos et genuit Ḥenoch. Et, cum natus esset Iāred 40 annos, completum est milliarum primum.

Ḥenoch vivit 165 annos et genuit Mathušalaḥ.

Mathušalaḥ vivit 167 annos et genuit Lāmech.

Lāmech vivit 188 annos et genuit Noaḥ.

Noaḥ vivit 500 annos et genuit tres filios, Šēm et Ḥām et Iapheth.

Et, cum Noaḥ 398 annos natus esset, completum est milliarum secundum[3]. Et post nativitatem Šēm 100 annis fuit diluvium, anno 640° Noaḥ. Sunt igitur anni ab Adamo usque ad diluvium 2242, generationes X.

[1] *Gen.*, II, 4; V, 1, 2. — [2] Ms. 290 (lapsu evidenti). — [3] Abhinc supputationes non semper sibi constant.

Hae *sunt* generationes Šēm. Šēm 102 annos natus genuit Arphachšarem anno secundo diluvii.

Arphachšār vivit 135 annos et genuit Šelaḥ.

Šelaḥ vivit 131 annos et genuit ʿĒberum.

ʿĒber vivit 134 annos et genuit Phāleg. Et eius diebus terra divisa est. Generationes sunt V, anni 402; et ab Adamo generationes XV, anni 2642.

Phāleg autem post annos 130 gignit Rĕʿū.

Rĕʿū post annos 132 [gignit Sĕrūg. Et] eius diebus inceperunt [homines] idola [colere, sacrificia] facere, urbes aedificare, alteri alteros bello lacessere et captivos ducere.

Sĕrūg post annos 136 gignit Nāḥor; et, cum Sĕrūg natus esset 94 annos, completum est milliarium tertium.

Nāḥor post annos 79 gignit Thāraḥ.

*p. 339. *Thāraḥ post annos 70 gignit Abraham.

Natus autem erat Abraham annos 75, quando Deus eum e domo patrum suorum exire et in terram Chanaan venire iussit. Sunt igitur a divisione terrae usque ad *tempus* quo Abraham in terram Chanaan venit generationes V, anni 616; et ab Adamo generationes XX, anni 3260.

Habitavit Abraham in terra Chanaan annos 25, et genuit Isaac.

Isaac autem natus annos 64 gignit Iacobum.

Iacobus autem post annos 86 gignit Levi.

Levi autem post annos 46 gignit Qĕhāth.

Qĕhāth autem post annos 60 gignit ʿAmrām.

ʿAmrām autem post annos 70 gignit Aaronem. Anno autem 83° [Aaronis exierunt] filii Israel [e terra Aegypti] ope Mosis. [Sunt ab] Abraham universi anni 430; et in deserto habitavit populus annos 40.

Iesus filius Nūn ex quo Iordanem transiit annos 27 in terra habitavit, in bello sex: et, postquam terram sortibus possidendam tradidit, vixit amplius annos 21. Sunt igitur ex quo Abraham in terram Chanaan venit usque ad *tempus* quo mortuus est Iesus filius Nūn generationes VII, anni 497; et ab Adamo generationes XXVII, anni 3754.

Et post mortem Iesu filii Nūn, cum peccasset populus, traditus est Chūšani, regi Mesopotamiae, cui servierunt annos 8. Et, cum ad Deum clamassent, surrexit eis rector ʿOthnīēl, *frater* Chālēb,
*p. 340. *qui* eo minor *erat*, qui erat e *tribu Iudae. Hic cum Chūšane cer-

tavit eumque occidit, et in populum dominatus est annos quadraginta[1].

Et rursus, cum peccassent, traditi sunt ʿEgloni, regi Moāb; cui servierunt annos 18. Et, cum conversi essent, Deus eis suscitavit Ahūr, virum e [tribu] Ephrāim; qui ʿEglonem occidit, [et] in populum dominatus est annos 80.

Et, postquam mortuus est Ahūr, peccavit populus; et traditus est Iabi, regi Chanaan, annos 20. Et huius diebus vaticinata est Debbora, Liphīthoris uxor, e tribu Ephrāim : cuius ope in exercitum dominatus est Bārāq, filius Abīnoʿam, e tribu Naphthālī. Hic cum Sisara, duce Iabis, certavit eumque devicit, et in eos[2] praevaluit. Iudicavit autem Debbora annos 40.

Huius autem post mortem peccavit populus et traditus est Madianitis annos 7. Adversus hos surrexit Gedʿon, qui viros trecentos secum habebat, et ex eis centum et viginti milia extinxit. Hic in populum dominatus est annos 40. Erat autem e tribu Manassis. Anno 30° Gedʿonis completum est milliarum quartum.

Post hunc Abīmelech, filius eius, annos tres.

Et post hunc in populum dominatus est Tholāʿ, filius Phūae; qui erat e tribu Ephrāim; et dominatus est annos 23.

Et post eum surrexit Iāīr Galaadita, e tribu Manassis; et in populum dominatus est annos [22].

Et post hunc peccavit populus [et traditus est] Ammonitis annos 18. Et [clamaverunt rursus ad] Deum et surrexit eis princeps *Nephthas Galaadita e tribu Manassis; et dominatus est annos sex. *p. 341.

Et post hunc dominatus est Abīʿṣān, qui et Ḥešbon, e Bēthlĕḥem, e tribu Iudae, annos septem.

Et post hunc dominatus est Ēlon, e Zĕbulone, annos decem.

Et post hunc dominatus est ʿAbron, qui et Labron, e tribu Ephrāim, annos octo.

Et post hunc peccavit populus, et traditus est Philistaeis annos 40. Et cum conversi essent, surrexit Samson, filius Mānoaḥ, e tribu Dān; qui cum Philistaeis pugnavit, et dominatus est annos 20[3].

Et post hunc dominatus est Šamgar annos tres.

Et post hunc ʿElī sacerdos iudicavit populum annos 20.

[1] In marg. : «cum octo alienigenarum». — [2] Sc. Chananaeos; licet etiam vertere «in eos (Israelitas) dominatus est». — [3] In marg. : «secundum *textum* Hebraicum 40».

Et post hunc Samuel propheta, qui Saulem in regnum unxit. Postea Samuel arcam a Philistaeis reduxit, et in domum Abīnādāb intulit; ubi mansit annos 20. Et post hoc tempus, cum rex factus esset David, e domo Abīnādāb eam eduxit. Quam cum bos e *domo* traheret, eam declinare fecit; et, cum *eam* prehendisset ʿOza, percussus est; et David timore *perculsus* eam in domum ʿObēr Edom Gittitae intulit, ubi mansit menses tres.

Regnavit autem Saul annos 40. Erat autem ei ibi dux Abner. Samuel autem David quoque in regnum unxit. Sunt igitur ex quo mortuus est Iesus filius Nūn usque ad *tempus* quo regnum accepit is qui e tribu Iudae est anni 490, generationes VII; ab Adamo
*p. 342. autem anni * 4247, generationes XXXIV.

Postea regnat David annos 40 et menses sex : Ḥebrone annos septem et menses sex, et Hierosolymis annos 33. Huius diebus summus sacerdos *erat* Abiāthār, filius Abīmelech, et ab alia familia sanctus Ṣādūq sacerdos. Vaticinantur autem diebus David Gād et Āsāph et Nāthān. Ducem autem habebat David Ioāb, filium Suriae. Hic populum filiorum Israel numeravit; et fuit numerus quem numeravit Ioāb filius Suriae, filiorum Israel animarum mille et centum milia, filiorum Iudae autem quadringenta et septuaginta milia. Levi autem et [Beniamin non] numerati sunt. Et numerus eorum qui ceciderunt ex Israel septuaginta milia.

Post David autem Salomon, filius eius, annos 40. Et anno 4° Salomonis domum Domino aedificare incepit. Et eius diebus rursus vaticinati sunt Nāthān propheta, et Ahias, qui e Šiloh[1]; et summus sacerdos *erat* Ṣādūq.

Post hunc regnat Reḥabʿām, filius eius, annos 17. Huius diebus regnum divisum est; et regnavit Ierobʿām, Salomonis servus, e tribu Ephrāim. Et vaticinatur rursus diebus Ierobʿām Aḥias Silōnita, et Semeias, filius eius, *et* post eum Lēhū (?)[2].

Post hunc regnat Abia, filius eius, annos 3.

Post hunc regnat Asa, filius eius, annos 41. Hic, cum senex esset, pedibus laboravit. Vaticinatus est autem eius diebus Hananias.

*p. 343. Post hunc regnat Iošāphāṭ, filius eius, annos 25. * Huius diebus vaticinatur Elias et Michaeas, filius Iimlae, et Abdias, filius Hana-

[1] In marg. : «Semeias». — [2] Locus corruptus : pro «Lehu» legendum fortasse «Iehu».

niae. Michaeae autem diebus erat pseudopropheta Sedecias, filius Chananaei[1].

Post hunc regnat Iorām, filius eius, annos 8; cuius diebus vaticinatur Elias; et post hunc vaticinatur Eliseus, diebus huius filii, cui nomen est Ochozias, cuius diebus Samariae populus filios suos *et* columbarum stercora comederunt, cum Samariae rex factus esset Iorām.

Post hunc regnat Ochozias, annum unum; cuius diebus vaticinatur Eliseus.

Post hunc regnat Athalia, Ochoziae mater, annos 7. Haec filii sui filios occidit : fuit enim e genere Aḥāb, regis Israel. Yošbaᶜ autem, Ochoziae soror, Ioiadae summi sacerdotis uxor, Ioāš, Ochoziae filium, furto surripuit; cui Ioiada regnum commisit. Vaticinatur autem diebus Athaliae Eliseus.

Post hanc regnat Ioāš, filius Ochoziae, annos 40. Hic Zachariam, filium Ioiadae, summi sacerdotis, occidit.

Et post hunc regnat Amasias, filius eius, annos 29.

Et postea Ozias, filius eius, annos 52. Hic autem leprosus factus est usque ad *tempus* quo mortuus est : iudicabat autem eius diebus Iothām, filius eius, qui nondum rex factus erat. Vaticinantur autem eius diebus Isaias, filius Amoṣ, et Hošēaᶜ, filius Bēri, et Ionas, filius Matthaei, a Sēpher[2].

Post hunc regnat Iothām, filius Oziae, annos 16. Huius diebus vaticinantur Isaias et Hošēaᶜ et Michaeas Morasthites, et Ioēl, filius Bĕthūelis.

Post hunc regnat Aḥāz, filius eius, annos 16; cuius diebus vaticinantur Isaias et Hošēaᶜ et Michaeas; * summum autem sacerdotium *p. 344.
administrat Urias. Huius diebus Šalmaneᶜsar, super Assyrios rex factus, *eos* qui Samariae habitabant Babylonem et in Mediam transportavit.

Post hunc regnat Ezechias, filius eius, annos 29; cuius diebus vaticinantur Isaias et Hošēaᶜ et Michaeas.

Post hunc regnat Manasses, filius eius, annos 55.

Postea regnavit Āmon, filius eius, annos 12.

Post hunc regnat Iosias, filius eius, annos 31. Hic membra hominum super membra idolorum posuit, ut scriptum est[3]. Et eius diebus, anno 18° regni eius, fuit pascha, quia ex quo mortuus est

[1] Sic. — [2] Gath Ḥepher (IV *Reg.*, XIV, 25). — [3] IV *Reg.*, XXIII, 20.

Iesus filius Nūn populus pascha non observaverat. Et Helcias sacerdos, Ieremiae prophetae pater, legis librum in templo invenit, anno 18° regni Iosiae. Vaticinantur autem eius diebus ʿAbēdšālom, custodis vestium summi sacerdotis filius, et Sophonias et Ieremias. Diebus autem Ieremiae erat pseudopropheta Hananias.

Post hunc regnat Iehoāḥāz, filius eius, menses[1] 3. Hunc vinxit Nĕkhāo, Aegypti rex, et in Aegyptum deduxit : pro eo autem constituit Eliāqīm, fratrem eius, qui etiam Ioiāqīm vocatus est; cuius diebus vaticinatur Ieremias et Urias, filius Semeiae, a Quriath Nĕʿārīm. Regnat autem annos 12. Hunc vinculis aeneis vinxit Nĕbūchadnāṣṣar, rex Babylonis, et Babylonem adduxit.

Postea Ioiāqīm, qui et Iochonias, menses[2] tres. Et hunc ad se ducit Nĕbūchadnāṣṣar, rex Babylonis, et alios cum eo, et pro eo constituit Sedeciam qui vocatus est Iochonias : hic frater *erat* Ioiā-
*p. 345. qīm : regnavit autem annos 11. Anno autem * 12° eum occaecatum Babylonem adducit Nĕbūchadnāṣṣar; et tunc populum apud se transportat exceptis paucis qui in Aegyptum descenderunt. Vaticinantur autem diebus Sedeciae Ieremias et Bārūch et Ḥabaqqūq. Anno autem quinto regni eius Babylone vaticinatus est Ezechiel: post quem Babylone vaticinatus est Naḥūm, et Malachias et Daniel. Sunt autem a David usque ad transportationem Sedeciae, qui et Iochonias, generationes XVII, anni 485; et ab Adamo usque ad transportationem Babylonis quae diebus Iochoniae *fuit* generationes LI, *anni* 4732; et a transportatione Babylonis usque ad Khoreš anni 30.

Khoreš atque alii reges tredecim regnaverunt absque errore annos 245. Khoreš autem regnavit annos 30. Anno autem secundo postquam rex factus est Khoreš, populum eduxit ut Hierosolyma adirent.

Et post Khoreš regnavit Cambysus, annos 8. Et post eum fratres duo magi, menses septem; post quos quartus est Darius, qui regnavit annos 36. Huius anno secundo, quo *anno* aedificatur domus seu templum, completi sunt post excidium Hierosolymorum anni septuaginta : et vaticinabantur simul Daniel et Ezechiel, Malachias, Aggaeus, et Zacharias: post Aggaeum et Zachariam autem Nehemias, filius Helciae, a semine Israel, qui urbem Hierosolyma aedificavit cum esset pincerna Arṭaḥšašt.

[1] In marg. : «annos 3». — [2] Ms. : «annos».

Post Darium Aḥšīreš, Darii filius, annos 24. — Artabanus, menses septem. — Arṭaḥšašt Longimanus, annos 51. — Xerxus secundus, menses duo. — *Sogdianus, menses septem. — Darius, filius concubinae, annos 19. — Arṭaḥšašt Rector[1], annos 40. — *p. 346.
Arṭaḥšašt, qui et Oxus, annos 27. — Arses, filius eius, annos 4. Et, cum Arses tres annos haberet[2], completum est milliarium quintum.

Darius, filius Aršam, annos 6; eius regni anno sexto Alexander Macedo eum devicit et regnum Persarum mutavit. Regnavit autem Alexander annos sex.

Post eum Ptolomaeus[3], filius Lagi, annos 40. — Ptolomaeus Philadelphus, cuius diebus *oi* Septuaginta Libros sacros interpretati sunt, annos 38. — Ptolomaeus Evergetes, id est *operum* bonorum factor, annos 26. — Ptolomaeus Philopator, annos 17. — Ptolomaeus Epiphanus, annos 24[4]. — Ptolomaeus Philomotor, annos 35. — Ptolomaeus Evergetes, annos 29. — Ptolomaeus Physcon, qui et Soter, annos 17 et menses 6. — Ptolomaeus Alexander, annos 10. — Ptolomaeus qui expulsus est, annos 8. — Ptolomaeus Dionysus, annos 30[5]. — Cleopatra, annos 22.

Anno secundo regni Cleopatrae Romae regnavit Gaius Iulius Caesar, annos quattuor et menses 7.

Augustus, annos 56 et menses 6. Et anno 43° eius regni natus est Salvator noster. Colliguntur autem anni a transportatione Babylonis usque ad Christi nativitatem 603, et generationes XXIV; ab Adamo autem generationes LXV, anni 5335.

*Tiberius, annos 23. Et anno 15° regni eius baptizatus est Do- *p. 347.
minus noster. Et anno 18° regni eius, mense ādār Graecorum, passus est. Et a nativitate Christi usque ad passionem eius *sunt* anni 32. Et a passione usque ad annum 816um Graecorum, qui est annus 15us Qawad, regis regum, et dies Anastasii, imperatoris Romanorum, *sunt* anni 474.

Gaius, annos quattuor. — Claudius, annos 15. — Nero, annos 13. Et Petrum et Paulum occidit. Et Iacobum Iudaei Hierosolymis lapidaverunt.

Espisianus, annos decem. — Titus, annos duo. Eorum diebus expugnata sunt Hierosolyma.

[1] Ita saepe apud Syros, ܡܕܒܪܢܐ pro ܡܥܗܕܢܐ «Memor». — [2] Sc. in regno. — [3] Sic nomen a nostro scribi solet. — [4] Ms. : «27». — [5] Ms. : «3».

Domitianus, annos 15. — Nerva, annum unum.

Traianus, annos undeviginti. Usque ad annum 7um regni eius vivit Iohannes evangelista.

Hadrianus, annos 21[1]. — Antoninus et Verus, annos 9. — Commodus, annos 13. — Pertinax, menses sex. — Severus, annos 18. — Antoninus Caracalla, annos 7. — Marcianus, annum unum. — Antoninus, annos 4. — Alexander, filius Mammaeae, annos 13. — Maximus, annos 3. — Gordianus, annos 6. — Philippus, annos 7. — Ducius, annum unum. — Gallus *et* Volosianus, annos duo. — Valerianus et Gallienus, annos 15. — Claudius, annum unum et menses novem. — Aurulianus, annos sex. — Tacitus, menses sex. — Probus, annos sex. — Carus et filii eius, annos duo. — Docletianus et filii eius, annos . . . . .[2].

Constantinus, annos 33. — Constantinus, filius eius, et Con-
* p. 348. stantius et Constans, annos 24. — Iulianus, annum *unum et menses octo. — Iovinianus, annos duo. — Valens et Valentinus et Gratianus, annos 15. — Theodosius maior, annos 16[3]. — Arcadius et Honorius et Theodosius minor et Valintus, annos 55. — Marcianus, annos septem. — Leo, annos 17 et menses 8. — Zeno, annos 18.

Anastasius, annos 27. Et anno 19° regni eius completum est milliarum sextum. — Iustus, annos octo. — Iustinianus, annos 40. — Iustinus, annos 11. — Tiberius, annos sex et menses quinque. — Mauricius, annos 27 et menses sex. — Phocas, annos octo. — Heraclius, annos 24.

Et anno 930° Alexandri Heraclius et Romani Constantinopolim ingressi sunt : et Muḥammaṭ et Arabes e meridie exierunt et terram ingressi eam subiugaverunt.

Rursus anni Hagarenorum[4]. Et tempus quo Syriam ingressi potestatem acceperunt ab anno 933° Alexandri *incipit*. Unusquisque eorum nomine suo ita se habet : Muḥammaṭ, annos 10. — Abū Bakr, annum unum. — ʿUmar, annos 12. — ʿUthmān, annos 12. — Et sine rege, annos quinque. — Muʿawiya, annos 20. — Yazīd, filius eius, annos 3. — Et sine rege, menses 9. — Marwān, menses 9. — ʿAbd al-Malik, annos 21. — Walīd, filius eius, annos 9. — Sulaimān, annos 2 et menses 7. — ʿUmar, annos duo et menses 7. — Yazīd, annos 4 et menses decem et dies 10.

[1] Ms. : «27». — [2] Locus, ut videtur, corruptus. — [3] Ms. : «56». — [4] Ad litt. : «Magaritarum» hoc est «eorum qui Hagareni (Moslemi) facti sunt». Cf. Theoph., A. M. 6137.

Et anno 1035°, qui est annus 105us *Arabum, regnavit Hišām, filius ʿAbd al-Malik, mense kānun posteriore. * p. 349.

Et anno 1054° mortuus est Hišām; et regnavit Walīd, filius Yazīd, qui occisus est; et post eum stetit Yazīd; et post eum stetit Marwān, filius Muḥammaṭ.

Et anno 128° Arabum Emesam eruit.

Et anno 129° contra Dhaḥḥāk Harūritam descendit.

Et anno 130° Arabum contra Maurophoros[1] descendit; et ab eis [victus] fugit et in Aegypto, ab Abū ʾAun duce, occisus est. Et eo [anno] regnavit Abū ʾl ʿAbbās, filius Muḥammaṭ, Hāšimita.

Et anno 1065° regnavit ʿAbd Allah, filius Muḥammaṭ, frater eius.

Et anno 133° Circesium urbs ab Abū Naṣr erutum est. Et eo anno erutae sunt universae urbes Gĕzīrthae.

Et anno 1087°, mense tešrīn posteriore, *die* nono, regnavit Muḥammaṭ al-Mahdī, filius eius[2].

[1] Hoc est, Abbasidarum asseclas, qui nigras vestes induebant. — [2] Infra scriptum est: «Hic liber ad monasterium Dei genetricis quod *est* in deserto Scetae pertinet. Dono autem eum dedit Abraham patriarcha diebus Ṣĕlībae archimandritae, quem Deus conservet; et sub anathema incidat quicunque eum e deserto Scetae auferet.»

V

DESCRIPTIO POPULORUM ET PLAGARUM.

INTERPRETATUS EST E.-W. BROOKS.

Hoc opusculum in Codice Musaei Britannici Add. 25, 875 fol. 77 *v*-79 *v*, qui codex anno 1709° p. Chr. scriptura nestoriana exaratus est, asservatur. Pars maior « Descriptio plagarum Andronici sapientis » a compilatore seu scriba inscripta est; sed, cum nonnulla excidisse videantur, num iam ab initio Andronico adscribendus sit tractatus parum liquet. Clausula quae titulum sequitur nonnisi praecedentium recapitulatio est. Andronicum chronographum, qui cum auctore nostro proculdubio idem est, sub Iustiniano vixisse testatur Elias Nisibenus[1], et eius opus, regnante Khosrau II, a Simeone Baraqya syriace versum esse : utrum « descriptio plagarum » chronographiae pars fuerit an opus diversum, incertum est; illud tamen verisimilius. Quae ad divisionem populorum spectant cum Libro Generationis[2], cum Chronico Paschali[3], et Epiphanii Ancorato[4], quem auctor Chronici Paschalis recitat, cum Excerptis Barbari Scaligeri[5], cum Chronico Michaelis Syri[6], et cum opusculo quod p. 356 textus edidi adfinitatem habent, sed ab his omnibus multum discrepant.

Codicis descriptionem legas apud Wright, *Catalogue of Syriac MSS. in the British Museum*, p. 1064-1069. Textus, qui valde corruptus esse videtur, nunc primum vulgatur.

[1] Brit. Mus., Add. ms. 7197, f. 88 r. — [2] *Chronica Minora*, ed. Frick, I, p. 9-26. — [3] P. 47-56. — [4] Cap. 112, 113. — [5] Euseb., *Chron.*, ed. Schoene, I, App., p. 181-186; Frick, *op. cit.*, I, p. 192-206. — [6] Ed. Chabot, p. 17.

*p. 351. *RURSUS, DOMINI NOSTRI OPE SCRIBAM QUI POPULI FUERINT POST CONFUSIONEM LINGUARUM BABYLONE FACTAM.

Sēm et Ḥām et Iapheth. — A semine Šēm *sunt* populi et nationes et linguae viginti duo; inter quas sunt quae litteras sciunt quinque linguae, Syri, Hebraei, Babylonii, Persae, Elamitae. Et terram ab oriente obtinent, et usque ad mare magnum Hedrinos ab occidente; et *pars* media terrae ad eos pertinet.

Et filii Ḥām sunt tredecim populi et nationes et linguae; inter quas sunt quae litteras sciunt quattuor linguae, Aegyptii, Aethiopes, Indi, Phoenices. Et terra eorum est tota plaga meridiana, et occiduae *pars* exigua.

Et filii Iapheth sunt triginta septem populi et nationes et linguae; inter quos sunt qui litteras sciunt sex populi, qui sunt Graeci, Amorrhaei, Alani, Romani, Armeni, Georgii. Terram *ut* hereditatem obtinent orientis fines, a monte Nod, qui *ad* terminos orientis *situs est*, et usque ad Tigrim, et septentrionum partem extremam, a Baqṭinos[1] et usque ad Gadriyon[2].

Et terra habitata septem climatibus constat, quorum uniuscuiusque est longitudo, ab oriente ad occidentem, quinque milia parasangarum et parasangae septingentae. Duo autem climata ultima, septentrionalia et meridiana, haud habitabilia sunt, septentrionalia ob frigus, meridiana ob aestum solis[3] . . . . in quattuor plagis
*p. 352. creationis extra sedem atque habitationem hominum, qui *ab Andronico philosopho et sapientiae pleno compositus est : et operam dedit ut omnia monstraret quae in sedibus hominum sunt; in regionibus externis ultra eas nihil aliud est nisi terra vacua quae omnis deserta est.

Ab oriente igitur Babylonis et universi Qēdar, extra omnes Elamitidis fines, habitant populi qui vocantur Georgii; qui ipsi sunt filii Iapheth, et in tabernaculis habitant. Et ultra eos sunt alii, de quibus nemo unquam novit quomodo et quid vocentur. Tabernacula enim non habent, neque etiam vestibus hominum utuntur, sed coma eorum vestimentum eis fit, et cibus eorum sunt pisces et reptilia aquatica : neque enim accipere et dare sciunt;

[1] Βάκτρα Epiph., Chron. Pasch., Lib. Gen.. — [2] Γάδειρα Epiph., Lib. Gen.; Γαδαρῖνοι Chron. Pasch.. — [3] Exciderunt nonnulla, ut videtur.

his[1] enim non utuntur. Terra enim eorum lamiarum plena est quae a semine hominum non fuerunt, sed creatura sunt Dei qui ipse eos fecit prout voluit. Et ultra hos nihil aliud est nisi terra deserta et vacua, et mare e quo sol ab oriente adscendit. Omnis autem arena illius maris aurum est : et aurum illud album *est :* et margaritae bonae; et cum oritur sol omnes fugiunt atque intra mare descendunt ne radiis eius adurantur.

Item de plaga occidentali, cuiusmodi sit et quid in ea sit.

Ab occidente autem extra omnes fines Oceani maris magni sunt alii qui in silvis habitant, quorum cibus sunt arborum fructus ab ipsa regione *quaesiti;* et neque ipsi vestibus hominum utuntur. Prope illos canes aurei et struthiones et simiae abundant. Et ultra illos nihil aliud est nisi aquae abyssi. *Et ibi etiam omnis arena quae iuxta mare illud *est* aurum est; et aurum illud bonum, neque est ei simile. *p. 353.

Item de plaga septentrionali, cuiusmodi sit et quid in ea sit.

A septentrionibus autem, extra omnes fines Gog et Māgog, per totam regionem quae circa Oceanum *est,* ubi vadit et aquas suas abysso magno inmiscet, sunt homines aspectu foedissimi et statura parvi ac contemptibiles; et habitationes eorum in cavernis *sunt* ac montium apicibus : cibus eorum sunt reptilia terrestria; vestimentum autem non habent, neque opera utilia hominum apud eos quaeruntur. Cum his grues certant, et aestate vincunt, quia ipsi contra eas congregantur *et* ab eis superantur; sed tempore hiberno, quando grues ad austrum effunduntur, ab eis *liberati* adleviantur : et, cum grues illuc revertuntur, contra eas congregantur, et bello eas accipiunt, et ipsi eas vincunt, quia grues *male* paratae sunt et fessae. Quando autem exeunt grues[2] . . . .
Et ultra illos iuxta mare externum sunt alii quorum aspectus valde foedus et horrendus *est;* mensura autem ac statura valde parvi *sunt;* vultus autem eorum in pectoribus sunt, et caput non habent; et intra arenam habitant : cibus autem eorum est ex eis quae aquae gignunt. De his fuit quaestio num a semine et stirpe domus Adami sint; opinor enim *rem* non *ita se habere*, quia, si quis forte e nobis apud eos apparet, in terra non manent, sed sub aquas fugiunt et latent. Ultra hos nihil est, nisi mare magnum, et montes magni non habitati et regio vacua.

[1] Sic ms.; fortasse excidit aliquid. — [2] Aliquid excidisse videtur. Locus obscurissimus est.

*p. 354. *Item de plaga meridiana, cuiusmodi sit et quid in ea sit.

Ultra Hedrinos flumen, quod est Phīšon, a meridie sunt qui vocantur Qaphrigawos. Ultra hos sunt qui vocantur Tagriwos. Et ultra hos sunt qui vocantur Qoros; et dracones ac viperae aspectu foedi, quorum singuli tria capita habent. Et in hac terra sunt lapides boni, sardius et carchedonii et berylli cum ceteris : et tempore quo ciconiae illuc revertuntur : quia terra illa calida *est :* fugiunt dracones et sub terram descendunt ob ciconiarum metum; et hoc tempore Aethiopes illas regiones sine metu ingressi beryllorum et lapidum pretiosorum *partem* auferunt : nemo enim regionem illam ingreditur, nisi hanc avem secum portet; cuius ob metum dracones nihil contra eos audent. Ultra hos a meridie nihil est nisi mare tantum.

A Šēm et Ḥām et Iapheth sunt septuaginta duo populi et nationes et linguae; inter quos sunt qui litteras sciunt quindecim populi; et ceteri a creatura[1] nihil distant animalium instar quae, sine ratione, super faciem terrae incedunt.

Finitus est *liber* plagarum Andronici sapientis.

Qui litteras sciunt sunt Syri, Hebraei, Babylonii, Persae, Elamitae, Aegyptii, Aethiopes, Indi, Phoenices, Graeci, Amorrhaei, Alani, Romani, Armeni, Arabes, Georgii.

[1] Fortasse excidit aliquid.

VI

DE FAMILIIS LINGUARUM.

INTERPRETATUS EST E.-W. BROOKS.

Hoc opusculum in Codice Musaei Britannici Add. 14,541, fol. 52, continetur; codicis descriptionem in Catalogo cl. Wright, p. 1040, legas : eo iudice, saeculo circ. IX° exaratus est. De fontibus vide quae ad «Descriptionem populorum et plagarum» (supra, p. 277) notavi. Cum nostro autem auctore maximam adfinitatem habet Liber Apis dictus (ed. Budge, p. 36-38). Quae hic leguntur a compilatore seu scriba Eusebio adscripta sunt : ratio fortasse quaerenda est ab eo quod adfirmat Elias Nisibenus (Brit. Mus., Add. ms. 7197, f. 88 *r*), nempe apud Orientales Andronici Chronicon opus Eusebii reputatum esse.

Textus, qui nunc primum vulgatur, valde perturbatus est et repugnantiis scatet.

*p. 355. * RURSUS EXPLICATIO OMNIUM LINGUARUM; ET QUIS SIT PATER UNIUSCUIUSQUE EARUNDEM LINGUARUM, QUAE AB EUSEBIO CAESARIENSI DISCERNUNTUR.

Filii Iapheth. Gomer genuit Gothos et Germanos et Sarmatas. Māgog genuit Carpos et Phoenices. Mādai genuit Medos et Gallos. Iāwān genuit Alanos et Ilum et Sigastanāye[1]. Thūbāl genuit Isauros et Asianos. Mošoch genuit Mazices et Taphīle. Thīrās genuit Thraces. — Et filii Gomer. Aškĕnaz genuit Armenos et Zabdicenos et Curdos. Rīphath genuit Urtāye et Sophanenos et Ingilenos. Thogarmāh genuit Thaphthāye (?)[2] et Sakhīnāye (?). — Et filii Iāwanis. Elīšāh genuit Athenienses. Tharšīš genuit Pantasāye (?). Chithīm genuit Achaeos, qui sunt Macedones. Dodānīm genuit Dardanos et Dalmatas et Romanos, qui sunt in occidente et in septentrionibus.

Et filii Ḥām. Chūš genuit Aethiopes et Aegyptios et Phūṭāye[3] et Chananaeos. Et filii Chūš, Šĕba et Ḥawīla et Sabathchāh ⌜et Thebais et Musrus (?) et Mauri, et filii Raʿmāh Sabathchāh et Maurusii et Marmaritae[4]; et filii Raʿmāh Šĕba et Dĕdān, qui sunt Šarāye (?) et Terphaei[5]. Chūš genuit Nemrod gigantem, et is aedificavit Babylonem et Ārāch quae est Edessa, et Achar quae est Nisibis, et Chalyēh quae est Seleucia, et Rhesainam, et Niniven, et Atra, et Dĕlassar[6], et Singara. Et Meṣraim genuit Lodīm et Naʿābīm et Lĕ-
*p. 356. hābīm et Iaphthuḥīm *et Phathrusīm, unde exierunt Philistaei et Cappadoces, qui sunt Onanāye (?), et Nomades et Phryges et Bithyni et Paphlagones et Galatae et Cappadoces et Chananaei. Et Chĕnaʿan genuit Sidonem, qui sunt Tyrii et Sidonii et Helīsāye (?) et Phoenices, Iebusaeos, *qui* sunt Hierosolymitae, Amorrhaeos, *qui* sunt Phryges, Gergosaeos, ⌜Galatas, Emesenos, *qui* sunt Hevaei⌝ et Arethusii, Aracaeos, *qui* sunt Cilices et Sinaei et Asapharaei[7], Arodios, *qui* sunt Cyprii, Samaraeos, *qui incolunt* (?) Perrhas et Samosata et Armeniam Minorem, Amathaeos, *qui* sunt Antiocheni et Syri. Et tractus filiorum Ḥām in *ea* parte *situs est* quae meridiem occupat et occidentis *portionem* exiguam.

[1] Sc. Sacas, regionis Sagastān incolas. — [2] Legendum fort. [illegible], Tibetani : ei autem in Libro Apis inter progeniem Ḥām recensentur. — [3] Ierem., xlvi, 9; Ezech., xxvii, 10. — [4] Haec perturbata esse videntur. — [5] I Esd., iv, 9 (vers. syr.). — [6] IV *Reg.*, xix, 12 (vers. syr.). — [7] Haec perturbata sunt. De Asapharaeis vide IV *Reg.*, l. c.

Et filii Šēm. Et Šēm, pater filiorum ʿĒberi, frater Iapheth maioris, ipse genuit[1]. Filii Šēm: ʿElām, Elamitae; Aššūdad, Parthi; Arphachšār, Aramaei; et Lūdīm, Lebnāye; et Arām, Ḥārrānāye. Et filii Arām sunt ʿUṣ et Ḥūl et Gāther et Moš. Et ab Ḥārrānāye nati sunt Damasceni et Arabes, et filii ʿEsau et Hebraei : et Iaqṭān genuit Elmodād et Afros : Šāleph genuit Sakhīnāye (?) et Ḥerpathanāye (?); Iāraḥ Yartutāye (?) : Hadorām genuit Arbagāye (?); Uzēl Izlāye[2] et Dinaeos[3] : Deqlah genuit Chaldaeos et Babylonios; ʿObāl Horrhaeos et filios Sēʿir; Abīmelech Brachmanos; Sěba Ḥerpathanāye (?); Ophīr Muntasāye (?) et Indos : Hawīlāh genuit Tanūkhāye et Aethiopes; Iobāb Brachmanos. Et tractus hereditatum eorum est oriens totus et meridiei pars exigua, quae orientis lateri meridiano contigua est.

Liber generationum usque ad *tempus* quo *unicuique* viro filius nascitur, anni a principio[4].

---

* RURSUS, QUOT LINGUAE SINT QUAE LITTERAS SCIUNT, DE QUO INTERROGAVISTI, SECUNDUM ID QUOD COMPERTUM HABUI INDICO TIBI. *p. 357.

Babylone autem homines qui tunc *erant* inter linguas septuaginta duo confusi sunt : et hoc porro quod scire voluisti, quot sint quae litteras sciunt, et hoc etiam indico tibi. Sunt enim quae litteras sciunt quindecim : e Iapheth sex, quae sunt Graeci et Iberi et Romani et Armeni et Medi et Alani; et e Šēm quinque, scilicet Hebraei et Syri et Babylonii et Persae et Elamitae; et ex Ḥām quattuor, Aegyptii et Aethiopes et Phoenices et Indi.

FINITAE SUNT FAMILIAE LINGUARUM[5].

[1] *Gen.*, x, 21. — [2] Sc. montis Izlae prope Nisibin incolas. — [3] I Esd., iv, 9. — [4] Haec ad ea quae in Libro Apis et in Libro Generationis sequuntur et a compilatore seu scriba nostro omissa sunt spectare videntur. — [5] Fragmentum cuius textum dedimus p. 358, nihil aliud continet quam genealogiam patriarcharum ab Adamo usque ad ʿEberum. Vide notam ibi appositam.

VII

PSEUDO-DIOCLIS FRAGMENTUM

INTERPRETATUS EST IGN. GUIDI.

Fragmentum hoc in cod. Mus. Brit. 12152 (scripto ann. 837 p. Chr. n.) Diqlios nomini addicitur, quem Dioclem Peparethium esse putat Lagarde (*Gesamm. Abhandl.*, 143); sed quominus magnam saltem eius partem Diocli tribuamus, ipsa temporum ratio nos vetat. Praeterea fabulas satis ineptas et non traditas nisi a scriptoribus aetate posterioribus vel potius postremis[1]: auctorem habere antiquum et gravem, nemo certe est qui facile credat; etenim *τὸ δραματικὸν καὶ πλασματῶδες* illud quod in Diocle arguit Plutarchus (*Rom.*, XIII) de huiusmodi nugis et fabellis intellegi nequit. Pertinent haec potius ad genus illud historicum quod Malalam praecipue invexisse credibile est, et in quo narratiunculae quae in ore populi erant, ad popularem intellegentiam accomodatae exponuntur. Scimus genus hoc scribendi, fabulae propius quam historiae, in Syria et potissimum Antiochiae floruisse, quamobrem vix in casu positum esse duxerim quod liber ms. quo fragmentum pseudodiocleum continetur, in regione Antiochena, saeculo IX ineunte scriptus fuerit.

[1] Malala, Ioh. Antioch., Cedren., *Chron. Pasch.*, etc. Cf. Chabot, *Chron. de Michel le Syrien*, I, 80, 83 s. (Cf. Wright, *Catal. of syriac MSS. in the Br. Museum*, p. 498.)

SCRIPTUM SAPIENTIS DIQLIOS.

Codex Mus. Brit.

Post divisionem linguarum quae temporibus Phaleg facta est, fuit vir quidam e progenie Japhet, cui Agenor nomen erat; profectus hic ex Oriente, venit et habitavit in ora maritima, et condidit urbem quam vocavit Genor; syriace autem Sor nuncupatur. Habuit ille tres filios Syrum[1] primogenitum, alterum Cilicem[2] et tertium Phoenicem[3]. Eorum pater Genor regnavit Tyri tredecim annos, tum moriens terram inter filios divisit, tribuitque Phoeniciam Phoenici, Ciliciam Cilici et Syriam Syro. Phoenicis aetate vivebat Hercules[4] vir sapiens et ingens viribus, qui cum se oblectaret in ora maris Tyri *deambulando*, vidit canem pastoricium qui conchylium, κογχύλη appellatum, *in ore* tenebat atque edebat, qua re os canis sanguine conchylii respersum erat. Pastorem eius gregis arcessivit Hercules, et cum eo de cane sermonem habuit; statim pastor lanam attulit qua os canis detersit, atque ex ea lana confecit sibi pastor coronam, *fasciam*, suoque capiti imposuit. Ut sol ei affulsit, conspexit Hercules coronam ex lana confectam, mire renidentem, eiusque pulchritudinem demiratus, eam pastori ademit. Insequenti die, pastorem et canem secum portans, exit Hercules ad oram maris; cum canis conspexisset conchylium ambulans, accurrit idque comprehendit, sed Hercules ex eius ore conchylium abripuit, sivitque pastorem ad suum gregem reverti. Quotidie deambulabat Hercules in ora maris, et simul ac tale conchylium e mari prodiebat, extemplo advolans comprehendebat; cum xxxiv conchylia collegisset, igne coxit, eorumque sanguine lanam albam tinxit, tradiditque cuidam feminae, quae inde pallium ei confecit. Sumpsit *Hercules* eam vestem et attulit Phoenici regi Tyri, qui, ea conspecta, ut pulcherrimam admiratus est, iussitque neminem nisi regem tantummodo eam sibi induere. Praeterea ius potestatemque fecit Herculi in sui locum imperandi, eumque regni patrem scripsit, *renuntiavit*.

Hercules iste tincturam omnium colorum pulchrorum monstravit; monstravit etiam et docuit homines quomodo margaritae e mari prodeant.

[1] Script. : Swrws. — [2] Scr. : Qwlyqws. — [3] Scr. : Fwnyqws. — [4] Scr. : Hrqlys (Ἡρακλῆς).

SCRIBAM ITEM NARRATIONEM *RERUM* QUAE FUERUNT POST DIVISIONEM LINGUARUM, TEMPORIBUS PHALEG, IN QUA EST VERA SIGNIFICATIO DE DOMINO NOSTRO.

Post divisionem linguarum quae temporibus Phaleg facta est, Codex Nöld. fuit vir quidam e stirpe Japhet, cui Agenor nomen erat; profectus hic ex Oriente, venit et habitavit in ora maritima. Condidit sibi urbem, quam de suo nomine Genor vocavit, quae est Phoenicia Syriae et syriace Sor nuncupatur; habuit ille tres[1] filios : Syrum[2] primogenitum, Cilicem alterum[3] et tertium Phoenicem[4]. Regnavit Tyri eorum pater Agenor [XIII] annos, tum moriens [regnum] inter filios divisit, deditque Phoenici Phoeniciam, Ciliciam totam Cilici et totam Syriam Syro. Temporibus Phoenicis vivebat Hercules[5] vir sapiens et ingens viribus, qui cum se oblectaret in ora maris Tyri *deambulando,* vidit canem gregis, *pastoricium,* conchylium maris edentem quod «quzklâ[6]» vocatur, os autem canis sanguine conchylii respersum erat. Pastorem arcessivit ad se Hercules, et de cane sermonem habuit; confestim pastor lanam albam attulit, qua os canis detersit[7], atque ex ea lana confecit pastor veluti coronam, suoque capiti imposuit. Ut sol ei affulsit, conspexit Hercules lanam mire renidentem, atque obstupescens eius pulchritudinem demiratus, lanam pastori ademit. Insequenti die res ei curae fuit; pastorem et canem secum portans, exiit ad oram maris et cum ambo ambularent, rursum canis conspexit conchylium; accurrit *canis* idque comprehendit, sed illico Hercules ex ore canis conchylium abripuit, et cum eius speciem et formam cognovisset, sivit pastorem ad gregem suum reverti. Quotidie spatiabatur *Hercules* in ora maris, et simul ac unum ex iis conchyliis prodiebat e mari ut pasceretur, illico id comprehendebat; et cum triginta fere conchylia collegisset, igne coxit, eorumque sanguine lanam albam tinxit traditque cuidam feminae quae inde pallium ei confecit. Accepit *Hercules pallium* et attulit Phoenici regi Tyri, qui cum id conspexisset, ut pulcherrimum admiratus est, iussitque neminem nisi regem tantummodo, id pallium sibi induere. Potestatem etiam dedit Herculi sui loco imperandi.

Hercules iste sapiens tincturam omnium colorum pulchrorum monstravit; purpurae, cocci, ostri, Veneti et Prasini et omnia genera

[1] Ms. : «duo». — [2] Script. : Swaros. — [3] Scr. : Qalkos. — [4] Foniqos. — [5] Scr. : Hēraqlīs (Ἡρακλῆς). — [6] Corr. e κογχύλη. — [7] Ms. : «deterserunt».

Codex Mus. Brit.

Vivebat illis temporibus in regione Occidentis vir quidam Româyâ[1] appellatus; vir erat fortissimus, cuius aetate in insula Ciliciae vivebat virgo speciosa, sacerdos creata templi dei Ares[2]. Quam cum conspexisset Româyâ, cupiditate et amore incensus, rem habuit cum ea *virgine*, quae ex eo concepit, et cum se gravidam esse sensisset, magno timore fuit, et sibi cavebat ne sacerdotes dei Ares, re cognita, se interficerent. Itaque cum uno partu duos peperisset filios, hos accepit pater et tradidit feminae cuidam quae eos aluit; cum crevissent pueri et adultae aetatis essent, nomina eis imposuit pater, alterum Romulum[3], alterum Remum[4] appellans. Hi urbem Romam condiderunt atque ibi re[gnaverunt] omnesque milites suos «româyâ» (*Romanos*) vocaverunt de nomine patris sui[5]; haec est causa cur incolae Romae Romani nuncupantur. Aedificaverunt etiam Capitolium[6], quod vertitur «caput urbis»; est autem unum ex miraculis quae toto orbe erant; cum *Romulus et Remus* simulacrum magnum quod erat in Helodos[7] attulissent, ascenderunt idque posuerunt superne in vertice Capitolii; miraculum autem erat magnum, quocum nullum in orbe comparari posset. Aedificaverunt *δημόσιον* magnum quod est Athenis, a philosophis : *δημόσιον σοφίας* appellatum.

Tum vero rixa orta est inter duos fratres, et assurgens Romulus Remum fratrem interemit. Illico urbs contremiscere coepit, quam cum trementem viderent magnopere extimuerunt et omnes incolae inde evadere maluerunt. Romulus videns Romanos obturbatos, templum deae Fwthny'[8] ingressus, eam precatus est ut causam tremoris urbis sibi ostenderet. Respondit illa : «Propterea quod fratrem tuum interemisti tremit urbs et ingemiscit, quia ipse tecum eam aedificavit, nec tremere desinet, donec videat fratrem hunc tuum tecum una in regni solio sedentem, imperantem, scribentem et legentem tecum ut antea.»

Simul ac rumor hic per totam civitatem serpsit, convenerunt *Romani* ut Romulum lapidibus obruerent, quod fratrem occiderat; fugit ille et Athenas profectus est. Cum de eo comperisset

[1] Scr. : Rwmy'. — [2] Scr. : 'rys (Ἄρης). — [3] Scr. : Rwml'ws; infra : 'rml'ws. — [4] Scr. : Rwmws (Ῥῶμος). — [5] Vel etiam : milites eorum... vocati sunt... patris eorum. — [6] Scr. Q'fṭwlwn; infra : Q'plṭwn. — [7] Nisi sit legend. : ܗܘ ܕܝܘܣ «ibi, Dios (*Jovi*) sacrum», ut legitur in altero exemplari; sed utrumque, ut videtur, ad vocem Παλλάδιον referendum. — [8] Vel : Pw. (= Πυθία).

et figuras quae sunt in terra; fabricatus est et vidit[1] etiam sigilla et margaritas, quomodo e mari Ponṭos prodeant, homines ipse docuit, quippe qui vir erat sapiens.

Vivebat illa ipsa aetate vir quidam in Occidente, Româyâ appellatus; vir erat fortissimus, cuius temporibus in insula Sqilā[2] vivebat virgo speciosa, sacerdos creata in templo deae Heres cui ministrabat. Hanc *virginem* cum conspexisset Româyâ, cupiditate et amore incensus, rem habuit cum ea. Concepit illa ex eo et cum se gravidam esse sensisset, magno timore fuit, sibique cavebat ne sacerdotes Hêrîs, re animadversa, se interficerent. Itaque cum peperisset, filios ambo patri eorum dedit, qui feminae cuidam tradidit; haec eos aluit et cum crevissent pueri, homines fortissimi evaserunt, et nomina eis pater imposuit, alterum Romulum[3] alterum vero Remum[4] appellans. Hi ambo Romam condiderunt, ibique ambo regnaverunt; filios suos «româyâ» appellabant[5], quare inde ab eo tempore incolae Romae «româyâ» (*Romani*) vocantur. Duo hi fratres condiderunt Romam et muro cinxerunt. Aedificarunt etiam Capitolium[6] quod vertitur «caput urbis», estque unum ex mundi miraculis; cum simulacrum magnum quod in ea *urbe* erat, sacrum Dyws[7] attulissent, ascenderunt et collocaverunt in summo Capitolio; erat miraculum magnum. Duo hi fratres aedificaverunt magnum *illud δημόσιον.*

Cum rixa magna orta esset inter hos fratres, Romulus Remum fratrem interemit; extemplo vero urbs contremiscere coepit, et cum Romani urbem trementem animadvertissent, magnopere timuerunt et Roma evadere maluerunt, ne aedificia ruina corruerent atque se occiderent. Romulus videns cives obturbatos, templum deae Futhithâ[8] ingressus, eam precatus est ut sibi causam tremoris urbis referret. Respondit illa : «Quia fratrem tuum interemisti, propter eius mortem ingemiscit *urbs,* quia ipse tecum eam aedificavit; nec tremere desinet donec videat fratrem tuum tecum una in regni solio sedentem ut antea.» *Romanis* erat in animo Romulum lapidibus obruere, quia fratrem interemerat; evasit ille et Athenas[9] se contulit. Cum Funṭos[10] philosophus Ro-

[1] Intell. «monstravit»? (ἀπέδειξεν). — [2] H. c. : Sicilia. — [3] Scr. : Romīlos; infra Armēlē'os. — [4] Scr. : Romīos. — [5] Cf. p. 288, n. 5. — [6] Scr. : Qupaṭlīon. — [7] Διός (Ζεύς), sed cf. p. 288, n. 7. — [8] Vel : Puthithā (Πυθία). — [9] Scr. : Athēnos. — [10] Vel. : Punṭos.

Codex Mus. Brit.

Fwnyṭws[1] philosophus, advenit et Romuli verbis auditis, pollicitus est se Romam profecturum et incolas et milites sedaturum, ea condicione ut *Romulus* Athenas liberas renunciaret, ita ut nulla foret regi Romanorum in eis dominatio; pactionem cum eo fecit *Romulus* se id ei praestiturum. Fwnyṭws contulit se Romam et cum eis *incolis* collocutus est dicens : «Si regem vestrum pacati et libentes acceperitis, illico tremor hic urbis vestrae desinet, neque in posterum contremiscet; quod si non acceperitis, tota urbs vesṭra corruet.» Nulla interposita mora, incolae Romae se congregarunt et vestigia sui regis secuti, Athenas perrexerunt. Quo cum pervenissent ac *inde* profecti Romam revertissent, tota civitas ei *Romulo* obviam exiit, et exorsi sunt dicere : «Si probe scis tremorem per tuum introitum in urbem nostram finem capturum, huc ades et ingredere cum pompa et honore, et sede in regni tui solio; sin a nobis non desierit tremor, ne intraveris.» Pollicitus est ille tremorem finem capturum. Idem hic philosophus simulacrum aureum fecit quod os vultumque fratris eius *Remi* referebat, id *Romulus* secum una in regia sede collocavit, iussitque omnia ad effectum adduci et scribi velut ex auctoritate amborum. Quibus rebus ita peractis, illico desiit tremor urbis; sapientia huius viri desiit tremor et incolae *urbis* suo regi reconciliati sunt; ex eo tempore mos obtinuit apud Romanos scribendi et iubendi *ita :* «Dicimus, iubemus.» Ab illa aetate Athenae libertatem recuperaverunt, ita ut nulli regi esset potestas quidquam in ea urbe per vim faciendi. Idem hic Romulus instituit 'pyqṭwn[2] ad oblectamentum et marṭyos[3]; ipse primus instituit Venetos[4] et Prasinos[5]. Cum a senatoribus timeret ne se occiderent, quemadmodum ipse fratrem suum interemerat, duos homines ante se stitit, se invicem odio habentes, alterum ex Venetis et alterum ex Prasinis; aiebat enim : «Si mihi Veneti insidias ponant, Prasini me certiorem facient, et si Prasini insidias ponant, Veneti me certiorem facient.» Adducebat duos viros ante [propugnacula] urbis ad oblectationem : Venetum induebat veste *colorem* maris *referente*, et alterum veste Prasini quae similis est herbae terrae. Aiebat enim : «Si vicerit is qui Venetum induit, mare erit tranquillum nec Barbari intrabunt et maris insulis potientur; etenim qui mare incolunt victoriam consequentur et incolae terrae cladem accipient. Sed si ex contrario is qui Prasinum induit

[1] Vel : Pw. — [2] Ἱππικόν. — [3] Martius. — [4] Βένετος. — [5] Πράσινος.

muli verba audivisset, pollicitus est ei *Romulus* se Athenas liberas scripturum, *in libertatem se restituturum*, ita ut regibus Romanorum nulla foret in eis dominatio; ipse autem *Funṭos pollicitus est* se profecturum[1] et sedaturum milites et Romanos, ut eum *Romulum* pacati et concordi animo exciperent. Codex Nöld.

[1] Si emendationem textus probaveris intellege : Fonṭos pollicitus est se Romam profecturum... si Romulus Athenas liberas renunciavisset.

Codex Mus. Brit.

